

TRACTATUS DE ARTE LITTERARUM CAMBII,

6-62

Secundum usum celeberrimorum locorum EUROPÆ,

IN QUO

Omnia Jura & Obligationes Trassantium, Remittentium, Indossantium, Præsentantium, & Solventium litterarum Cambii dilucide exponuntur, & Quæstiones difficillimæ hactenus nunquam tractatæ proponuntur, & juxta Leges, Ordinationes, Edicta Arresta & generalem omnium locorum consuetudinem resolvuntur.

OPUS

Non solum Mercatoribus, sed & omnibus qui accipiunt & dant litteras Cambii maxime autem iis, qui super controversiis Cambialibus respondendo, interpretando, vel judicando cognoscunt; perquam utile & necessarium.

AUTHORE

JACOBO DU PUY, DE-LA SERRA A.E.P.

Linguâ Gallicâ editum, nunc prius in Latinam translatum.

PER

F. A. O. J. U. D. E. C. E. A.

Cum duplici Capitum & Materiarum Indice.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus JACOBI PROMPER, Bibliopol. Anno M.DCC.XII.

PRÆFATIO.

PLures ex sola mercatura, quam ex omni alia Juris materia oriri lites vel hoc unico convincimur, quod à consulibus alijsque in quâvis civitate rei mercantili præpositis Tribunalibus sententias oppido plures, quam ab ordinariis judicibus ferri quotidie videamus; tamen (quod dolendum est) jus in mercatura, & singulariter in litteris Cambii, quæ potissimam ejus partem constituunt obtinens tam incertum dubiumque manet, ut quamvis nemo ferme reperiatur qui litteras Cambii non capiat, vel det, remittat vel recipiat, solvat, vel præsentet & earum solutionem exigat, nihilominus tamen, inesse illis arcanum aliquod videatur, quod à nemine, quam qui cambiare solent & Banquerios vulgus appellat, explicari possit, communiter enim si ad Parlamenta per Appellationem devolvatur causa Cambii, Judices requirunt sentimenta Mercatorum, ex quibus tamen vel doctissimi non raro minus lucis, quam ex ipsis actis acquirunt, eo quod illi quorum sentimenta petuntur, alius alio modo factum capiendo, illudque vel juxta exigentiam causæ propriæ, quam forte similem habet, vel ex affectu partium decidendo, plerumque diversæ opinionis sint, & suam quisque rationibus, vel veris vel aparentibus fulciat, in quibus discernendis Judices non levem sentiunt difficultatem; hoc ipsum ex naturæ Cambii principiorumque in decidendis contraversiis Cambialibus observandorum ignorantia unice promanat, cujus rei causa est quod Jurisconsulti nostrates non tantam huic

quantam aliis litium materiis tractandis dederunt operam: nam quamvis D. Marechal Anno 1625. tractatum *Des Changes & Rechanges & Banquerouttes* in lucem ediderit Legum & Doctorum citationibus locopletissimum, in eo tamen de litteris Cambialibus tam parce tamque turbatâ methodo scripsit, ut exinde satis videre sit, naturam contractus litterarum Cambii ei satis cognitam non fuisse, Clerac alium tractatum *Des changes* imprimi fecit Anno 1659. sed non felicius quam prior absolvit, tandem Jacobi Savary tractatus quem inscripsit *Le parfait negotiant* Anno 1629. in publicum prodiit,in quo plurima arresta plurimasque quæstiones retulit hac in materia perquam utiles, verum quia materiam hanc non nisi incidenter tractavit, nec omnes circumstantias in contractu litterarum Cambii occurrentes accurate examinavit; licet eos qui ante ipsum scripsere multis paransangis præcellat, plurima tamen infecta reliquit: ut ut igitur Genuinus sensus Edicti de Commerciis de mense Martio 1673. quod in tota Gallia litteris Cambii legem præscribit ab ipso probe expositus sit, ex quo tamen Edictum istud authoritatem suam extra Regnum non extendat & de cætero casus tantum frequentiores contineat, & casus qui quotidie emergunt novi, ex eo decidi non valeant, hinc recursus aliorsum sumendus est.

Itaque cum ego de hac eadem materia opusculum ad usum proprium summa cum diligentia bonoque successu scripserim & ad finem produxerim, rem me non ingratam publico facturum existimavi, si laborem istum publici Juris facerem, in eo enim natura contractus Cambialis Regulæque juxta quas quæstiones Cambiales decidi debeant non tantum plenissime exposita, sed & singula utilissimis notis illustrata, opinionesque propositæ ordinatio-

nibus

nibus, legibus, areſtis & celeberrimorum JCtorum probatæ ſunt ſin-gulariter autem deciſionum Rotæ Genuenſis & Sigiſmundi Sccacciæ Juris Cti Romani & S. Rotæ Auditoris, qui in materia Commerciorum omnium celeberrimi & à D. Bornier in conferentiis ſuper componendo Edicto de commerciis ſœpiſſime citati ſunt authoritatibus, confirmantur. Quia vero lectori nihil moleſtius ſcripturâ citationibus interruptâ maxime in materia commerciorum ubi ij qui factum quidem intelligunt Juris tamen peritiam non habent; econtra verò præſumptuoſum eſt verbis ſuis ſolis velle credi, quamobrem ut utrique malo præcaverem, ſtylo continuo quaſi omnia mea propria eſſent ſcripſi, citationesque Authorum tanquam verborum meorum aſſertorum & teſtium in margine fideliter addidi; unde videre quiſque facile poterit, quod licet opuſculum hoc magna ex parte ex aliorum ſcriptis compoſitum ſit, ego tamen ea diſponendo & in ordinem redigendo, obſcuriora dilucidando & leges conſuetudineſque Patrias nec non authoritates applicando plurimum ex meis contribuerim, & ut verbo dicam firmiter perſuaſus ſum tam methoticum, clarum aut abſolutum de materia hac nullum hactenus prodiiſſe tractatum.



INDEX CAPITUM.

TRAC-

TRACTATUS DE ARTE LITTERARUM CAMBII

SECUNDUM USUM CELEBERRIMORUM Locorum Europæ

CONTINENS

OMNIA JURA ET OBLIGATIONES Traſſantium, Remittentium, Indorſantium, Præſentantium, Acceptantium & Solventium litteras Cambii,

CUM REGULIS LOCORUM, UBI Cambia celebrantur & Tractatu de Cambiis Extraneis.



CAPUT I.

De Nomine & Diviſione Cambii.

SUMMARIA.

1. *Cambiare quid ſignificet.*
2. *Cambium quotuplex ſit.*
3. *Quid ſit Cambium minutum, & quid ſit Collybus.*
4. *Cambium de loco ad locum, per litteras quid ſit, & quomodo fiat.*
5. *Cambium ſiccum quid ſit.*
6. *Cambium Lugdunenſe quid ſit.*

Cambiare, ſeu Campſare verbum eſt, cujus ſignificatio tam latè ſe extendit, ut in vulgari ſermone ſemper applicari poſſit, quoties rem unam quis deſerit, ut acquirat aliam, etiamſi res iſtæ conſiſtant in merâ qualitate aut habitu ſpirituali, & hoc ſenſu idem importat quod *mutare*; Verùm in com- 1

merciis geminum habet significatum. *Primum* respectu mercium, dum unam speciem damus, ut habeamus aliam; quo sensu Cambiare idem est, quod permutare, & non habet substantivum. *Alterum* respectu pecuniæ, & tali sensu substantivum ejus est *Cambium*.

2 Cambium dividitur in quatuor genera.

3 Primum, (a) quod DD. appellant *minutum*, est reliquorum omnium antiquissimum, & fit cum unam speciem pecuniæ damus, ut accipiamus aliam, E. G. coronatos argenteos ut accipiamus aureos, interveniente aliquâ mercede, quam Authores appellant *Collybus*, (b) Unde qui hoc commercii genus exercent à Veteribus *Collybistæ*, à Nobis *Cambiatores* seu *Campsores* dicuntur; De hoc *Collybo* loquitur Cicero in Verrem Orat. 5.

Alterum genus Cambii (c) est quod fit *de loco ad locum*, quasi ad formam mandati; fitque mediantibus Litteris Cambialibus, dando pecuniam in una civitate, & recipiendo Litteras, ad habendum valutam in alia civitate; Qui verò huic negotiationi incumbunt, vulgò vocantur *Bancherii*; & de hoc genere Cambii in præsenti tractabitur. 4

Tertium genus est imitatio, seu verius fictio quædam secundi generis, verùm in effectu est mutuum usurarium, quod DD. Cambium *siccum* (d) & *adulterinum* vocant, estque reprobatum per Bullas Pontificias, & in Gallia omnino incognitum; de hoc mentionem nullam facturi sumus, ne ignorantes 5

(a) Primum genus Cambii est de pecunia præsenti, cum pecuniâ præsenti, quod ideo solet fieri eodem loco, & regulariter pro non magnâ Summâ; & ideo vocant Cambium *minutum* seu *manuale*. Scacc. *de Commerc. & Camb. §. 1. Quæst. 5. n. 2.*

ADDIT. Minutum, consistit in permutatione pecuniæ præsentis pro præsente aliquo intercedente lucro ex parte alterius. Raph. de Turri. *de Camb. disp. 1. Quæst. 5. n. 1.*

(b) Collybistæ iidem sunt qui dicuntur à Collybo, qui est ista merces, quæ datur pro illâ permutatione. Scacc. *Quæst. 3. n. 8.* Couvar. *de Veter. numism. 4. vers. hac sanè ratione.*

Ex omni pecunia quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant, primum pro spectatione & Collybo, deinde pro, nescio quo ærario, hæc omnia, judices, non rerum certarum, sed furtorum improbissimorum sunt vocabula: nam Collybus esse quî potest, cum utantur omnes uno genere nummorum. Cicer. *in Verr. Orat. 5.*

(c) Secundum genus est Cambium, quod fit de pecunia præsenti, cum pecunia absente, ideoquè cum fiat de loco ad locum, fit per Litteras, & hinc vocatur per Litteras. Scacc. *d. §. quæst. 5. n. 3.*

(d) Cambium siccum est illicitum & prohibitum, ut consentiunt communiter omnes, hæcque prohibitio continetur expressè in Constitut. Pii V. Scacc. *d. §. Quæst. 7. part. 1. n. 19.*

Dicitur illud ex quo lucrum exigitur, & accipitur ratione solutionis ad tempus dilatæ, ideoque revera est mutuum, licet habeat nomen Cambii, *eod. n. 20.*

La troisiéme espece de Change, que pour distinguer dans les autres, nous pourrions avec les casuistes, & aucuns Jurisconsultes nommer Cambium siccum, nescio qua ratione, *puisque par lui autant qu' autres, on tire la substance, c' est à dire l' argent & moijen des personnes, qui en suffrent sur eux passivement l' usage; mais nous l' appellerons adulterin* Mareschal trâité de Changes licites & illicites, Chap. 1. pag. 26.

rantes hujusmodi depravatum negotium instruxisse arguamur.

6 Quartum genus est (e) quod communiter dicitur Lugdunense, mercatoribus permissum, qui nundinas seu ferias Lugdunenses frequentant, & de hoc quoque differere Instituti nostri non est.

Ex hoc Capite sequentia colliguntur axiomata,

AXIOMATA.

1. Cambium in commerciis est contractus pecuniarius, seu monetarius.

2. Cambii sunt quatuor genera.

3. Propriè non sunt nisi duo Cambiorum genera licita.

4. De Essentia Litterarum Cambii est, ut mittantur de loco ad locum.

CAPUT II.

De Origine Contractus Cambialis de loco ad locum per Litteras.

SUMMARIA.

1. *Cambium per Litteras est Contractus veteribus Romanis incognitus, & per necessitatem introductus.*
2. *Origo & inventores Cambii sunt incerti.*
3. *Aliqui attribuunt Banno Judaeorum ex Regno.*
4. *De Rubis adscribit. Florentinis in Galliam fugitivis.*
5. *Posterior opinio probatur.*

1 Cambium (f) de loco ad locum per Litteras, quo hodiedum utimur, est Contractus antiquis planè incognitus, & necessitate introductus, ob bonum publicum, quamobrem etiam in jure Romano nullus reperitur textus, qui de eo in terminis loquatur, aut qui nobis cum effectu servire possit; Titulus enim *de eo quod certo loco dari oportet*, uti & quae in diversis legibus *de Nummulariis*, A. *Argentariis*, B. & *Trapesitis*, C. dicuntur, à Cambio & Bancheriis nostri temporis longè diversa sunt.

Tempus originis, sicut & inventores Cambii, quod fit de loco ad locum, quando scilicet aliquis pecuniam dat in una civitate, ut habeat litteras, quarum vigore recipit, vel curat reci- 2

(e) *Il y a une autre espece de Change, seulement toleré entre Marchands trafiquans es foires de Lyon.* Marechal. au dit Chap. pag. 18.

(f) Litterarum Cambii prorsus incognita erat materia. Gaytus *de credito, Tit. 7. n. 2480.*

A. L. 9. §. 2. ff. de edend. l. 7. §. 2. ff. depos.

B. Ll. 4. 6. 8. 9. 10. ff. de edend. l. 50. ff. de admin. Tut. ll. 2. 3. ff. de re Jud. n. 136.

C. L. 12. §. 3. C. de Cohortal.

recipi solutionem in aliâ civitate, sunt incerti.

3 Sunt qui id attribuunt Banno Judæorum ex Regno, quod contigit temporibus Dagoberti I. Anno 640. Philippi Augusti, Anno 1181. & Philippi Longi, Anno 1316. & ajunt Judæos, postquam in Lombardiam refugerunt, ad consequendum pecunias, quas apud amicos deposuerant, fuisse usos ministerio itinerantium, & litterarum stylo brevi & compendiosissimo scriptarum.

4 De Rubis *in Historiâ Civitatis Lugdunensis, pag.* 289. adscribit Florentinis, quos Gibellincrum factionibus sede sua pulsos, & à Gallis receptos, commercium Cambiorum ibidem instituisse, talique medio, cum Summas capitales, tum reditus bonorum suorum ex relictâ patriâ traxisse autumat.

5 Posterior hæc opinio apparet probabilior, partim quod prior adhuc dubium linquat inter annorum plus quam sexcentorum spacium; nimirum, utrum inventus sit Cambiorum usus Anno 640. an verò Anno 1316. partim etiam, quod cum Bannum istud fuerit pœna rapinarum & delictorum, quibus odiosam se gens ista Judæorum apud omnes reddiderat, verisimile haud sit, quemquam se depositis ejus onerare, illis opitulari, & in præjudicium ordinationis Regiæ commercium cum illis habere cupivisse.

Capitulum hocce tantum unicum præbet Axioma.

AXIOMA.

1. Contractus Cambialis recentiorum inventum est.

CAPUT III.

De Natura & Definitione Contractus Cambii de loco ad locum per Litteras.

SUMMARIA.

1. *Contractus Cambii duplicem habet respectum.*
2. *Primus est inter trassantem & remittentem.*
3. *Alter ab uno latere inter trassantem & acceptantem, & ab altero latere inter remittentem & præsentantem.*
4. *De natura Cambii DD. variè sentiunt.*
5. *Prima opinio est, Cambium esse speciem mutui, quæ opinio refellitur, & recensentur differentiæ n. 6.*

7. Pri-

7. *Prima differentia est, quod in Cambio non possit discerni quis sit mutuans aut mutuatarius.*
8. 2. *Quod in Cambio non reddatur idem in specie.*
9. 3. *Quod in Cambio non reddatur tantundem.*
10. 4. *Quod in Cambio redditio non fiat eodem loco.*
11. 5. *Quod mutuum fiat unius solius gratia, Cambium verò utriusque.*
12. *Usura non committitur in Cambio.*
13. *Quando litteræ Cambiales perdunt unum v.g. pro centum, non est usura, sed pretium Cambii.*
14. *Secunda opinio est, Cambium esse contractum innominatum, quæ refellitur.*
15. *Tertia opinio est, quod Cambium sit permutatio, quæ refellitur.*
16. *Quarta opinio est, Cambium esse speciem emptionis & venditionis.*
17. *Inter Cambium & venditionem non est nisi unica differentia, nempe circa materiam, & materia Cambii est vendibilis.*
18. *Pecunia recipit augmentum & decrementum in pretio.*
19. *Pecunia pluris valet in uno loco, quàm alio; licèt ejusdem sit bonitatis & impressionis.*
20. *Pecunia continetur sub generali appellatione mobilium.*
21. *Pecunia est commutabilis.*
22. *Pecunia est æstimabilis pecuniâ.*
23. *In pecunia reperitur duplex bonitas, sicut in aliis mercibus.*
24. *Nomen debitoris potest vendi.*
25. *Permutatio est genus supremum, respectu cujus venditio est species, sub qua continetur Cambium.*
26. *Definitio Cambii.*
27. *Cambium est Contractus Juris-gentium.*
28. *Cambium est Contractus nominatus.*
29. *Cambium est Contractus bonæ fidei.*
30. *Cambium perficitur solo consensu.*
31. *Consensus in Cambio debet declarari per scripturam in Francia, saltem ad probationem.*
32. *Non requiritur, ut reciproca datio valutæ & litterarum fiat præcisè eodem tempore Contractus.*
33. 34. *Id probatur exemplis.*
35. *Licet Litteræ Cambiales non solvantur, Contractus tamen est validus.*

IMpossibile est contractum aliquem rectè concipere, nisi prius cognita sit natura & definitio illius, quod in hocce contractu Cambiali tanto verius est, quod, cum sit noviter inventus, sine tali notitiâ quasi impossibile foret habere certum fundamentum illorum, quæ de eo dicenda sunt.

Contractus Cambialis duplicem habet respectum, quorum uterque diversam producit naturam. 1

Primus respectus est inter Trassantem, & eum qui dat valutam, & hic est; juxta quem consideratur natura Cambii. 2

Secundus est ex uno latere inter Trassantem, & eum qui debet solvere litteras Cambii, ex altero latere inter eum qui dat valutam, vel qui jus habet 3

ab ipso, & eum qui recipit solutionem, & hoc secundo respectu Cambium est verum mandatum, de quo parte secunda tractabitur.

4 De natura Cambii de loco ad locum variæ sunt opiniones Doctorum.

5 Prima opinio est, [g] Cambium esse speciem mutui, hanc opinionem secuti sunt omnes; qui hac ipsa de causa detestantur Cambia tanquam illicita & usuraria.

6 Verùm quàm falsa sit hæc opinio, lubet saltem per differentias inter mutuum & Cambium intercedentes ostendere.

7 Prima differentia est, (h) quod in Cambio reali de loco ad locum, distingui nequeat, uter ex contrahentibus mutuans sit aut mutuatarius, quod enim est de essentia mutui, ut mutuatarius accipiat prius, & postea reddat, idem quoque fieri deberet in Cambio, in quo tamen is, qui præbet Litteras Cambii, quandoque accipit valutam eodem tractu, quandoque longo demum post tempore, & subinde non ante, quàm Litteræ certioratoriæ, de præstita solutione Cambii, (quas appellant *spacchia* sive *litteras de aviso*) advenerint; Unde, si ex contractu Cambiali mutuum velimus efficere; necesse est, ut hoc absurdi concedamus, eundem Trassantem nunc mutuantis, nunc mutuatarii personam repræsentare, & hæc differentia sumitur ex Articul. 27. 28. & 29. Tit. 5. Edicti de Commerciis, Mense Martio 1673. promulgati: ubi agit de recognitis Cambialibus tradendarum, vel traditarum Litterarum.

Secunda differentia est (i) quòd in mutuo reddenda sit eadem species, in Cambio vero solutio in eadem specie nunquam fiat, cùm unius loci species non habeant cursum in alio. 8

Tertia differentia est (k) quòd in mutuo nunquam reddatur minus, quàm fuit receptum, & minui non possit summa mutuò data, secus est in Cambio, in quo is, qui accipit Litteras, sæpe plus, sæpe etiam minus recipit, quàm dedit, quod plus & minus dependet à raritate, vel abundantia pecuniæ in illo loco, ubi Litteræ Cambiales solvendæ sunt. 9

Quarta differentia est (l) quod mutuum reddendum sit in eodem loco ubi contrahitur, econtra verò Cambium necessariò solvendum sit in alio loco. 10

Quin-

(g) Scacc. *de Commerc. & Camb.* §. 1. *Quæst.* 4. *n.* 4.

(h) Scacc. §. 1. *quæst.* 4. *n.* 5.

Aucun billet ne sera reputé billet de Change, si ce n' est pour Lettres de Change, qui auroient eté fournies, ou qui le devroient être.

Les billets pour lettre de Change fournies feront mention &c.

Artic. 27. 28. titres. de l' Edit. du Commerce.

(i) Scac. §. 1. *quæst.* 4. *num.* 7. Raph. de Turri. *Tract. de Cambiis disp.* 1. *Quæst.* 7. *num.* 16. *& seqq.*

(k) Scacc. §. 1. *quæst.* 4. *n.* 11.

(l) Scacc. §. 1. *quæst.* 4. *n.* 14.

11 Quinta differentia est (m) quod mutuum contrahatur in favorem solius mutuatarii, Cambium verò in favorem & commodum utriusque, nam ei, qui Cambio dat, non minus, expedit pecuniam in alia civitate, ubi illâ indiget recipere, quàm ei qui Cambio accipit, dare Litteras, quarum vigore solutio fieri debet.

12 Ex his itaque differentiis essentialibus evidens est, Cambium non esse mutuum, idque singulariter notandum est, quia inde consequitur, in Cambio non committi usuram, (n) utpote quæ super alium contractum, quàm mutuum verum, aut palliatum, juxta communem DD. sententiam cadere non potest.

13 Quo fundamento posito fallunt, qui sustinent pro Litteris Cambialibus accipere plus, quàm permittit cursus ordinarius, usuram esse, id enim falsum est; dici quidem hoc casu possit, malitiam, dolum & injustitiam committi, ast usuram nullo modo, nam in simili, mercator frumenta, aliasve merces carius quàm communi pretio vendens, licet non careat malitia, usuram tamen non committit, & si mercator ligna aliasve merces certo pretio publicè taxatas venderet carius, indubium est, quin faceret contra legem, & committeret injustitiam, usuram tamen contraxisse dici nequaquam posset; eadem quoque ratione, quando Litteræ Cambiales Parisiis Lugdunum perdunt unum ad quodlibet centum, dici non debet, Litteras de 1010. Libris pro 1000. Libris paratæ pecuniæ contrariari Art. 6. Edicti de commerciis, quasi continerent capitale cum usuris, nam decem istæ Libræ usura non sunt, sed pretium Cambii, id est, is qui habet Lugduni 1010. Libras, eas non potest Parisiis vendere pluris, quàm 1000. Libris, idque propter raritatem pecuniæ, inter civitatem Parisiensem & Lugdunensem.

ADDIT. Verùm licet mutuum & Cambium in prædictis omnibus inter se differant, cum tamen hi duo contractus simul conveniant in eo, quod in utriusque obligatione veniat pecunia, facilior hac ratione est transmutatio Cambii in mutuum, quàm alterius cujusvis contractus, unde rectè colligitur, quod si in Cambio veniret in obligatione pecunia ejusdem generis, cum sola differentiâ specificâ Jurisconsultorum, tunc certè usura committeretur in eo, quòd plus veniret accepto, cum per omnia mutuo conveniret, & exclusâ per hoc Cambii substantiâ, in mutuum tali casu intelligeretur transformatum, Turri de Camb. disp. 1. quæst. 7. n. 30.

Secunda opinio est (o) est, quod 14
Cambium sit contractus innominatus

(m) §. 2. *gloss. 5. n. 351.* Rot. Genuens. *decis. 32. 5.*

(n) Couvarruv. *variar. solut. lib. 3. cap. 1. vers. hinc justissime.* Scacc. *§. 1. Quæst. 7. p. 1. n. 25,* Gibalin. *de usur. cap. 8. art. 1. Reg. 2.* Raph. de Turri *de Camb. disp. 1. Quæst. 7. n. 29.*

(o) Scacc. *§. 1. Quæst. 4. n. 17.* Turri *disp. 1. q. 10.*

tus, *do ut des*, verùm præterquam quod hanc opinionem, utpote nimis generalem pauci ſint qui amplectantur, ea inſuper vel ipſo nomine, quo hic contractus ſpecialiter inſignitus eſt, refellitur.

15 Tertia opinio eſt (p) quod ſit permutatio pecuniæ cum pecunia, ſed hæc opinio communiter rejicitur ex eo, quod oſtendat ſaltem genus ſub quo contineatur, cum tamen de ipſa ſpecie, ſub eo genere contenta quæramus.

16 Tandem quarta opinio eſt (q) eorum, qui Cambium reale de loco ad locum ſpeciem emptionis & venditionis eſſe cenſent, ſicut etiam ceſſionem & translationem nominis eſſe ajunt, is enim qui dat Litteras Cambii, cedit & transfert nomen ejus qui Cambium ſolvere debet.

17 Unicum ſaltem inter Cambium & emptionem venditionem reperitur diſcrimen, (r) quod tamen eſſentiale non eſt, nimirum circa materiam, nam Cambium non contrahitur, niſi de pecunia cum pecunia, de reliquo omnes proprietates emptionis & venditionis reſpondent Cambio, & quod materiam Cambii conſtituit, vendi poteſt.

Quod probatur *primò* (s) id quod 18
recipit augmentum & decrementum in pretio, poteſt vendi, at quin pecunia, quæ eſt materia Cambii, recipit augmentum & decrementum in pretio, ergo poteſt vendi.

Secundò (t) una eademque pecu- 19
nia pluris valet in uno loco, quàm in alio, licet ejuſdem ſit pedis & Impreſſionis, ſicut v. g. piſtoletta Hiſpanica, quæ valet Madriti quatuor nummis, de octo realibus, in Gallia tantùm valet tribus & duabus tertiis, & ita de multis aliis ſpeciebus pecuniæ; Si ergo recipiat diverſas æſtimationes, nihil impedit, quò minùs vendatur.

Tertiò (u) pecunia continetur ſub 20
appellatione generali mobilium, mobilia autem emi & vendi poſſunt, uti quotidiana experientia docet; poterit ergo & pecunia vendi.

Quartò [x] Quidquid eſt com- 21
mutabile, eſt etiam vendibile, ſed pecunia eſt commutabilis pecuniâ; ergo eſt vendibilis.

22. *Quin-*

(p) Scacc. §. 1. *quæſt.* 4. *n.* 18. Turri *diſp.* 1. *q.* 6.

(q) Joan. de Anon. *in Cap. ult. naviganti ſub n.* 46. *&* 47. *& alii* dicens Cambium eſſe contractum emptionis ex parte dantis, & venditionis ex parte accipientis Cambio, & ſic pecunia ejus qui dat Cambio, eſt pretium; & pecunia conſignanda poſtea ex civitate Placentiæ, ſeu Romæ, eſt reſumpta & vendita &c. Scacc. §. 1. *Quæſt.* 4. *n.* 21. Rot. Genuenſ. *deciſ. ult. n.* 41. *verſ.* 1. *ratione & deciſ.* 32. *n.* 5. Gaytus de credit. *cap.* 2. *tit.* 7. *n.* 1208. *& n.* 2293.

(r) Et quod Cambium differat à venditione ſolâ materiâ, quia non verſatur, niſi circa pecunias, & quod contractus Cambii habeat eaſdem differentias, quas habet contractus emptionis & venditionis. Scacc. *loco citato.*

(s) Scacc. *cit. loc. n.* 25.

(t) Scacc. *n.* 26.

(u) Uti ex Baldo ſuſtinet Straccha *de mercatura parte* 1. *n.* 75. Navarr. *in cap. navigant.* Scacc. *n.* 29. *&* 30.

(x) Scacc. *n.* 31.

22 *Quintò* (y) Illud eſt vendibile, quod eſt æſtimabile, fuit enim pecuniæ uſus pro pretio & menſura rerum comparandarum inventus, ſed pecunia ſeu moneta æſtimatur per reſpectum quem habet ad aliam monetam, v. g. groſſa ad minutam, & è converſo; ergo moneta poteſt emi & vendi.

23 *Sextò* (z) Merx vendibilis habet duplicem bonitatem, intrinſecam ſcilicet & extrinſecam, & ab iſtâ duplici bonitate ſumitur juſtitia pretii, quo merx illa vendi debet, ut noverunt omnes, ſed duplex iſta bonitas reperitur in pecunia; ergo etiam pecunia, ſicut alia merx, eſt vendibilis.

24 *Septimò* (a) Contractus Cambii potiùs eſt ceſſio nominis illius, qui debet ſolvere, quàm venditio pecuniæ, ſed indubium eſt, quin nomen vendi & emi poſſit; ergo Cambium eſt ſpecies venditionis.

25 Et licet nonnulli (b) Doctorum Cambium venditionem eſſe negent, propterea, quod figurari nequeat, quâ ratione pecunia vendi poſſit; nihilominus tamen, quia certum eſt, permutationem eſſe genus ſupremum, reſpectu cujus venditio eſt ſpecies, ſub quâ dici poteſt contineri Cambium, eo quod in primâ ponatur dari res una pro aliâ, in alterâ res pro pecuniâ, & in tertio pecunia uno in loco pro pecunia in alio loco, hinc puto non eſſe recedendum (c) ab illa opinione, quæ dicit Cambium eſſe quandam venditionem, quæ opinio concludentibus argumentis ſatis ſtabilitur, & communiter ab omnibus tenetur.

,, ADDIT. Licet non ſit (d) ambigendum contractum Cambii valde affinem eſſe contractui venditionis, certùm tamen eſt, longè ab illo differre, & veluti ſpeciem à genere ſuo; Et non ſecus, ac ipſamet venditio differt à permutatione in genere ſumptâ, quàm perficit; ita differt Cambium à venditione, quæ illam perfectionem nanciſcitur ab eo, quàm impertitur permutationi. In Cambio namque neceſſariò intervenit conſenſus, res & pretium, & in hoc bene convenit cum venditione, ſed ulterius Cambium requirit locorum diſtantiam, ſine qua nec eſſe, nec intelligi poteſt, unde fit hanc diſtantiam eſſe de hujus contractus

(y) Scacc. *n. 32.*

(z) *n. 33.*

(a) Nomina eorum, qui ſub conditione vel in diem debent, & emere & vendere ſolemus, eà enim res eſt, quæ emi & venire poteſt. *l. 17. ff. de hared. vel act. vend.* Nominis venditio etiam ignorante vel invito eo adverſus quem actiones mandantur contrahi ſolet. *l. 3. C. eod.*

(b) Contrarium, quod enim non ſit contractus venditionis, eò quia pecunia eſt invendibilis, tenent de Rudolphis, Joan, Azor, Medina, Navar, Mich. Cavar, relati à Scacc. *n. 34.*

(c) Tamen ego eligendam eſſe exiſtimo quartam opinionem, quod Cambium ſit emptio venditio, *ut dixi suprà*, tum quia efficaciter probatur, tum quia videtur magis communis. Scacc. *n. 37.*

(d) Turri *diſp. 1. quaſt. 9. n. 23. & 24.*

,, Cambii substantia, & ideo meritò ex
,, hac distantiâ distinguitur ab empti-
,, one.

26 Definiri potest Cambium, quod sit *contractus juris-gentium nominatus, bonæ fidei, solo consensu perfectus, quo dato pretio Campsori, ab eodem traduntur Littera ad tantundem alibi recipiendum.* (e)

27 Contractus hic meritò *juris-gentium* (f) dicitur, quod eundem usus & commercii necessitas communem fecerit omnibus populis.

28 Dicitur *nominatus* (g) ad distinctionem, tam innominatorum, quàm reliquorum contractuum sui generis, habetque nomen naturæ suæ conveniens scilicet *Cambium.*

29 Sequitur in definitione *bonæ fidei.* [h] Primò, quia bona fides summa lex est commerciorum; Secundò, quod cum ex contractu emptionis, qui bonæ fidei est, descendat, necesse sit, ut ejus quoque naturam imitetur, prætorquam, quod tertio cum usu reguletur, magis in bona fide consistat, quàm reliqui contractus omnes.

30 Perficitur solo consensu (i) ad exemplum venditionis, nam post consensum hinc inde declaratum alter contrahentium, invito altero, resilire non potest, cum fiat ad utilitatem utriusque.

31 Verùm in Gallia requiritur, ùt de consensu constet scriptura, saltem ad effectum probandi, juxta ordinationes, sicut etiam in aliis contractibus, quia aliàs probari non posset, nisi per juramentum rei.

32 Et licet dicatur in definitione, *quo dato pretio Campsori, ab eodem traduntur Littera, ad tantundem alibi recipiendum*, necesse tamen non est, quod datio valutæ, & Litterarum fiat præcisè eodem tempore contractus, nam contrahentes convenire possunt super dilatione alterutrius, aut etiam utriusque, prout duobus exemplis practicis ostenditur.

33 E. G. [k] quando contrahitur Cambium ad certum pagamentum vel ad certas ferias, & mutua extraditio fieri debeat loco dissito, hoc casu non dantur Litteræ Cambiales, sed reversale, continens promissionem illas dandi, in quo scribendo oportet observare formam præscriptam in *Edict. de Commerc. Mensis Martii* 1673.

Pa-

(e) Vide Raph. Turri *disp. 1. q. 11. n. 1.*

(f) Illud dicitur de jure-gentium quæ æquè apud omnes gentes servatur, sed Cambium in omnium Regnis & Provinciis, & ubique terrarum exercetur, veluti Reipubl. & hominum commerciis necessarium; & ergo Cambium est de jure-gentium. Scacc. *§. 1. quæst. 6. n. 3.*

(g) Rota Genuens. *decis. 30. n. 5.*

(h) Rota Genuens. *decis. 1. n. 41. versu primâ ratione.*

(i) Quæro, an in Cambio sit licita pœnitentia, altero contrahente invito: Respondeo quód non, quia contractus Cambii sit in utriusque utilitatem. Scacc. *§. 2. gloss. 5. n. 347.*

(k) *Les billets pour lettre de Change à fournier feront mention du lieu, ou elles seront tirées, & si la valeur en à été recuë, & desquelles personnes, à peine de nullité.* Edit. du mois de Mars 1673. titre 5. art. 29.

34 Pariter si dentur Litteræ & valuta (l) non sit solvenda, nisi ex certo tempore, is, qui illam debet, dat reversale secundùm formam citati *Edicti*,

Et si neque valuta, nec Litteræ sint extraditæ, & pactum sit de certo tempore extradendi, dantur reversalia mutua, ad hoc, ut consensus utrimque probari valeat.

35 Quamvis autem Litteræ Cambiales non solvantur, & ideo fiat protestatio, contractus tamen Cambialis consistit & validus est, quia qui dedit valutam, habet actionem ad omne damnum (m) & Interesse Cambii & Recambii, sicut in emptione & venditione.

Ex hoc Capite tria sumuntur Axiomata.

AXIOMATA.

1. Litteræ Cambiales duas species contractuum producunt: Primam inter Trassantem & Remittentem, quæ est species venditionis; Secundam inter Trassantem & Acceptantem, & inter Remittentem, seu cui jus cessit, & Præsentantem, inter quos intercedit mandatum.

2. Cambium non est mutuum.

3. Usura non contrahitur, nisi in mutuo vero aut palleato.

CAPUT IV.

De diversis Formulis Litterarum Cambii, Personis in iis exprimendis, variis solutionum Temporibus, diversis modis declarandi valutam & Epistolis horum omnium occasione mittendis.

SUMMARIA.

1. *Forma Litterarum Cambii.*
2. *Quatuor considerationes in Litteris Cambii.*
3. *Prima consideratio est, quot personæ considerentur in Litteris Cambialibus, & earum appellationes.*
4. *Forma Litterarum quatuor personarum.*

B 2 5.6. For-

(l) *Les billets pour lettre de Change fournies feront mention de cellui, sur qui elles auront èté tirées, qui en aurá payè la valeur, & si le paijement à ètè fait en deniers, Marchandises, ou autres effets, à peine de nullité*, artic. 28.

(m) Si res vendita non tradatur, in id quod interest agitur, hoc est, rem habere interest emptoris; Hoc autem interdum pretium egreditur, si pluris interest, quàm res valet vel empta est, *l. 1. de act. empt. vel vendit.*

EXempla ad faciliorem intellectum contractus Cambialis potiùs, quàm ad præscribendum formam necessariam proponimus; certa enim forma huic contractui præscripta haud est; (n) sed quando Litteræ Cambii continent (o) eos, qui illas dedit, qui debet solvere, cui solvendum est, qui dedit valutam, tempus solutionis, & causam, seu quomodo valuta soluta est; de reliquo termini, quibus hæc singula exprimuntur, & alia quævis contenta sunt arbitraria. 1

Omnis autem consideratio in Litteris Cambii ad quatuor reducitur. 2

Prima, respicit Personas. 3

Secunda, tempus solutionis.

Tertia, quid sit solvendum.

Quarta, valutam. 4

Quantum ad primam, regulariter exprimuntur in Litteris Cambialibus quatuor (p) Personæ, nimirum is, qui præbet litteras, qui dicitur *Trassans* vel *Tra-*

(n) Scacc. §. 1. *Quæst.* 5. *n.* 11.
(o) Edict. *de Anno* 1673. *Tit.* 5. *art.* 1.
(p) Rot. Genuens. *decis.* 1. *n.* 27.

Traſſans, is, qui eas accipit, qui appellatur *Remittens*, is, qui debet ſolvere, & nominatur *Acceptans*, & demum, qui exigit ſolutionem, & dicitur *Præſentans.*

I. EXEMPLUM. (q)

Pariſiis 11. Auguſti 1679. pro lib. 1000.

MAgnifice Domine &c.

Litterâ visâ, numerato per præſentes primas Cambiales, Severino, Summam mille librarum, pro valore in paratis recepto à Luciano; & in computum noſtrum ſcribito, prout in Spacchiis, Vale.

Hilario.	Obſequioſ.
Lugduni.	Simeon.

A Paris ce 11. *Aouſt* 1679. *pou l.* 1000.

MONSIEUR.

A veuil vous plaira payer par cette premiere de Change à Monſieur Severin la Summe de mille livres, pour valeur recuë comtant de Monſieur Lucien, & mette à Compte comme par l'avis de

A Monſieur,	*Vôtre tres humble*
Monſieur Hilaire,	*Serviteur*
A Lion.	*Simeon.*

Pariß den 11. Auguſti 1679. lib. 1000.

M. Hr. ꝛc.

Auff ſicht geliebe dem Herꝛn dieſen meinen prima Wechſel-Brieff zu bezahlen an Herꝛn Severin, tauſend livres, die Werth von Herꝛn Lucian baar empfangen; thut gute Zahlung und ſtelts auff Rechnung laut advis; Gott befohlen.

An Hren Hilarius,	M. Hren
In Lion.	Dienſtwilligſter
	Dr Simeon.

Ad exequendum huncce contractum, Traſſans mittit ad Acceptantem litteras certioratorias, quæ dicuntur *Spacchia* cum mandato ſolvendi in termino ad formam epiſtolæ, hiſce fermè terminis. 5

Pariſiis 11. Auguſti 1679.

MAgnifice Domine &c. 6

Hodie traxi tibi * mille libras visâ litterâ ſolvendas Severino, pro valutâ à Luciano numeratâ, honorato quæſo litteras mihique dato debitum, Vale.

Obſequioſus,
Simeon.

(q) In hac litterarum formula illæ quatuor Perſonæ apparent realiter & diſtinctæ. Scacc. *quæſt.* 5. §. 1. *n.* 44.

* Sicut illi, cui de mandato acquirentis Cambium eſt facieuda ſolutio, remitti dicitur, ita è converſo ſoluturo pecuniam mandato debitoris Cambii trahi dicitur, inde fit, ut juxta naturam correlativorum impoſſibile ſit dari, quod aliqua Summa pecuniarum trahatur, quin etiam eadem remittatur, & è contra *l. ult. ff. de acceptil. l. 1. C. de indict. viduit. toll.* Raph. de Turri. *in prolegon. ad diſcipul.* 1. *n.* 37. & 38.

A Paris ce 11. Aoust 1679.

MONSIEUR,

Je vous ai diré ce jour d' huy mille livres payables à vuë à Monsieur Severin pour valeur de Monsieur Lucien; je vous prie d' y faire honeur, & de m' en donner debit.

Monsieur Vôtre ters humble Serviteur,
N. Simeon.

Pariß den 11. Augusti 1679.

M. Hr. 2c.

Heut habe auff den Herrn tausend livres gezogen ahn Herrn Severin auff sicht zu zahlen/für die Werth von Herren Lucian, bitte/er wolle den Wechsel ehren / und mir in debet stellen/ Gott befohlen.

M. Hren Dienstwill.
Simeon.

Si Trassans non est creditor acceptantis, vel saltem Summæ non æqualis Cambio, declarat, qua ratione satisfactionem præstare velit.

Si verò est, creditor scribit, in computu m meum, in dexteritatem tuam confidens.

7 Remittens scribit ad Præsentantem in hunc modum.

Parisiis 11. Augusti 1679.

Vigore inclusarum litterarum Cambii à Simeone datarum remitto tibi mille libras ab Hilario solvendas placeat, urgere solutionem, mihique dare creditum, Vale. 8

Si Remittens non sit debitor præsentantis, ei notificat in quos usus pecunias velit impendi.

Pariß den 11, Augusti 1679.

M. Hr. 2c.

Durch beygeschlossenen Wechsel-Brieff von Herrn Simeon übermache dem Herrn tausend livres auff Herrn Hilarius, er wolle die Zahlung befürderen / und mir in credit setzen. Gott befohlen.

A Paris ce 11. Aoust 1679.

MONSIEUR.

Je vous remets mille livres par la cijointe lettre de Change de Monsieur Simeon sur Monsieur Hilaire, de la quelle je vous prie de procurer le payement & m' en donner credit.

Quandoque litteris Cambialibus inseritur clausula, *solvas Severino, vel de ejus ordine. id est ejus mandatario.* 9

Quo casu quandoque inveniuntur diversa mandata successiva, sed hoc sub-

ſubſtantiam litterarum Cambii non alterat, quia omnia iſta mandata non ſunt, niſi ſurrogationes, conſtituentes noviſſimum in locum primi, cui ſolutio à principio fieri debebat.

II. EXEMPLUM.

10 Pariſiis 14. Auguſti 1629. pro lib. 2000.

MAgnifice &c.

Octo diebus à litterâ viſâ placeat vi præſentium litterarum Cambii numerare Felici, aut de ejus ordine bis mille libras erga valorem ex permutatione cum Marcello, referas ad rationes noſtras, prout in Spachiis. Vale,

Rothomagi.

Obſequios.
Fabianus.

Et infra vel in dorſo invenitur.

Et nomine meo placeat ſupra, vel in altero latere contentam Summam ſolvere Vincentio, vel ejus mandatario erga valutam in paratis à Juliano numeratam;

Pariſiis 14. Auguſti. Sign. Fœlix.
Et ſic deinceps.

Pariß den 14. Auguſti 1679. lib. 2000.
M. Hr. ꝛc.

Acht Tag nach ſich geliebe dem Herren zu zahlen dieſen meinen prima Wechſel-Brieff ahn Herꝛn Fœlix oder Commiſs zweytauſend livres, die Werth mit Herꝛn Marcell getauſcht; und ſtelt es auff Rechnung laut advis, Gott befohlen.

Ahn Herren Hren Victor. In Roan.

M. Hren. Dwilligſtr Fabian.

Und darunten oder auffm Rücken ſtehet.

Ahn ſtatt meiner geliebe dem Herꝛn die hieroben / oder auff der ander Seythen geſetzte Summe zu zahlen an Herren Vincens, oder deſſen Ordre, die Werth von Herꝛn Julian baar empfangen.

Pariß den 14. Auguſti 1679.
Fœlix.

A Paris ce 14. Aouſt 1679. pour l. 2000.

MONSIEUR.

A huit jour de vuë, il vous plaira payer per cette premiere de Change à Monſieur Felix ou à ſon ordre la Somme de deux mille livres, pour la valeur changée avec Monſieur Marcell, & mettez à compte, comme par l'avis de

A Monſieur Monſieur Victor. A Rouen.

Vôtre tres humble Serviteur Fabien.

Et

Et au bas, ou au dos il y a.

Et pour moy payez le contenu ci-dessus, ou de l'autre part, à Monsieur Vincent ou son ordre, pour valeur reçuë comptant de Mr. Julien.

A Paris ce 14. Aoust 1679.

Sign. Felix.

11 Notandum est in Edicto *de commerciis Tit. 5. Art. 12. 13. 15. 16. 17. 24. & 25.* poni terminos *endosser*, id est *indorsare* seu *apostillare*, *endosseurs*, id est *indorsatores* seu *apostillatores*, & *endossement*, id est *indorsatio* seu *apostillatio*, ad significandum *inscribere dorso vel lateri ordinem, sive mandatum in rem suam*, item *eos, qui hujusmodi ordinem inscribunt* & *ipsum ordinem infra* & in artic. 23. ejusdem Tituli verbis indorsationem denotantibus demi significationem ordinis, ut plus non importent quàm simplex mandatum seu procuram, ita ut *To indossement*, *indorsatio* sit æquivocum & interpretandum juxta casum quem ponit.

12 Quandoque litteræ Cambiales solvendæ sunt eidem met ipsi, qui valutam dedit, quod fieri solet, quando is proficiscitur ad illum locum, quo solutio destinata est, & tunc apparent in litteris tantùm tres Personæ.

III. EXEMPLUM.

Parisiis 1. Augusti 1679. lib. 3000.

HOnorate &c.

Ultimâ currentis Mensis numerato per præsentes primas Cambii Romualdo Summam ter mille librarum, pro valore ab ipso in paratis accepto, & referas ad rationes nostras uti in Spacchiis; Vale. 13

Paulo, Marsiliæ. — Obsequios. Gabinus.

Pariß den 1. Augusti 1679. lib. 3000.

M. Hr. &c.

Auff den letzten lauffenden Monats geliebe dem Herren diesen meinen prima Wechsel an Herren Romuald zu zahlen drey tausend livres, die Werth allhier von demselben zu empfangen/ und stelts à conto lauth advis; Gott befohlen.

Herren Paulo. In Marsielien. — Deß Herren Dienstwill. Gabin.

A Paris le 1. Aoust 1679. pour l. 3000.

MONSIEUR.

A la fin du mois, il vous plaira payer par cette premier de Change à Monsieur Ro-

Romuald la Somme de trois mille livres, pour valeur reçûë comptant de lui-même, & mettez à compte comme par l' avis de

A Monſieur,	*Vôtre tres humble*
Monſieur Paul.	*Serviteur*
A Marſeille.	*Gabin.*

14 Quod ſi is, cui ſolvendæ ſunt litteræ forſitan non veniat Marſiliam recepturus ſolutionem, ſunt qui dubitant, an ſimplex ejus mandatum recipiendi ſufficiat, cenſentque requiri ceſſionem coram Notario factam vel procuram; ſed horum non eſt major efficacia, quàm ſimplicis mandati, niſi quoad facilitatem probandi.

15 Aliquando etiam litteræ Cambiales illi ipſi, cui facta eſt tracta, ſeu Acceptanti, ſi fortè cum Traſſante & ſimul cum Remittente commercium habeat, à ſemetipſo ſolvendæ ſunt, & hoc quoque caſu non apparent in litteris niſi tres Perſonæ.

IV. EXEMPLUM.

Pariſiis 18. Auguſti 1679. pro lib. 1000. daleris.

16 Honorate.

Ad (r) duos uſus placeat per has primas de Cambio tibimet ipſi ſolvere Summam mille dalerorum, & centum & unum denarium in groſſis pro quolibet dalero pro valutâ à Benedicto in paratis acceptâ; Referto ad computum prout in Spacchiis. Vale.

Dioniſio.	Obſequioſ.
Ambſtelrodami.	Albinus.

Pariß den 18. Auguſti 1679. lib. 1000. zu 101. den Gruß.

M. Hr. ꝛc.

Dem Herꝛn geliebe dieſen meinen prima Wechſel-Brieff auff zwey U. ſo zu zahlen an ihnen ſelbſt tauſend Daler/den Daler per hundert und einen Denier Flämmiſch / die Werth von Herꝛn Benedict empfangen ; er wolle gute Zahlung thuen / und mir à Conto ſtellen laut advis ; hiemit was dem Herꝛn lieb iſt / Gott zu Gnaden befohlen.

An Hren	M. Hren
Herꝛn Dioniſ.	Dienſtwill.
In Ambſterdam.	Albin.

A Paris ce 18. *Aouſt* 1679. *pour* 1000. *ècus à d'* 101. *de groſs.*

A deux uſance, il vous plaira payer cette premier lettre de Change à vous même la Somme de mille ècus, & cent: un denier de gros pour ècu; pour valeur re-

C çûë

(r) Nunc pono formulam in qua tres tantùm Perſonæ apparent realiter & diſtinctæ, ſed virtualiter ſunt etiam quatuor, nempe quando una eademque Perſona gerit negotium Remittentis & Acceptantis ſolvendo ſibi ipſi. Scacc. *loc. cit.*

que comptant de Monsieur Benoist, & mettez à Compte, comme par l'avis de

A Monsieur Monsieur Denis. En Ambsterdam. *Vôtre ters humble Serviteur, Aubin.*

17 Pariter non apparent nisi tres Personæ in litteris, si Trassans declaret valutam à semet ipso provenire.

18 ## V. EXEMPLUM.

Parisiis 21. Augusti 1679. ad lib. 4000.

HOnorate &c.

In numeratione proximâ Mensis Augusti placeat Joviano solvere Summam quatuor mille librarum, pro valuta à me ipso, & referre ad rationes nostras, uti in Spacchiis. Vale.

Paulo, Lugduni. Obsequios. Gabinius.

Pariß den 21. Augusti 1679. per l. 4000.

Ehrenvester und Vornehmer Herr Hr. &c.

Auff nechstkünfftigen August Zahlung geliebe dem Herren zu zahlen ahn Herren Jovian die Summa von vier tausend livres, die Werth an mir selbst/Er thue gute Zahlung/und stelts auff Rechnung lauth advis; Gott befohlen.

An Herren Herren Paul. In Lion. M. Herren Dienstwill. Gabinius.

A Paris le 21. Aoust 1679. pour l. 4000.

MONSIEUR.

Au prochains payement d'Aoust il vous plaira payer à Monsieur Joüin la Somme de quatre mille livres pour valeur en moy même, & mettez à compte comme par l'avis de

A Monsieur Monsieur Paul. A Lion. *Vôtre tres-humble Serviteur Gabin.*

Occurrunt etiam litteræ Cambiales in quibus duæ tantùm Personæ apparent, Trassans, & Acceptans. 19

VI. EXEMPLUM. 20

Parisiis 1. Augusti 1679. pro daler. 1900. de 74. crucigeris.

HOnorate &c.

Proximis feriis Septembris placeat per has primas Cambii solvere tibimet ipsi Summam mille dalerorum, & pro quolibet dalero septuaginta quatuor crucigeros, pro valutâ in me ipso; re-

fer

fer ad rationes noſtras ſicut in Spacchiis & Vale.

Hilario. Obſequios.
Francofurti. Simeon.

Pariß den 1. Auguſti 1679. Dahl. 1000. zu 74. Creutzer.

M. Hr. ꝛc.

Nechſtkünfftige September Meeß geliebe dem Herꝛn dieſen meinen prima Wechſel-Brieff ahn ihnen ſelbſt zu zahlen/die Summe von tauſend Dahler zu vier und ſiebentzig Creutzer / und ſtelts à conto lauth advis, Gott befohlen.

M. Hren

An Herren Dienſtwill.
Herꝛn Hilarius. Simeon.
Zu Franckfort.

A Paris ce 1. Aouſt 1679. pour ècus 1000. à 74. Kreiſser.

MONSIEUR.

A la prochain foire de Septembre, il vous plaira payer par cette premier lettre de Change à vous même la Somme de mille ècus, à ſeptante quatre Kreiſser pour l'ècus, pour valeur en moy même, & mettez à Compte, comme par l'avis de

A Monſieur Vôtre tres-humble
Monſieur Hilaire. Serviteur
A Francfort. Simeon.

VII. EXEMPLUM.

Pariſiis 1. Auguſti 1679. per lib. 1000.

HOnorate;

Ad duos uſus placeat per has primas de Cambio de ordine meo ſolvere Summam mille librarum, valutâ à me ipſo & ad computum refer ſicut in Spacchiis. Vale.

Franciſco. Obſequioſ.
Rothomagi. Gervaſius.

Pariß den 1. Auguſti 1679. per 1000. l.

Ehrerveſter Vornehmer Herꝛ ꝛc.

Auff zwey Uſo zahle der Herꝛ dieſen meinen prima Wechſel / ahn meinen Commiſs die Summa von tauſend livres, die Werth an mir ſelbſt/und ſtelts auff Rechnung lauth advis, Gott befohlen.

M. Hren

An Herren Dienſtwill.
Herren Frantz. Gervas.
Zu Roan.

A Paris ce 1. Aoust 1679. pour l. 1000.

MONSIEUR.

A deux usances, il vous plaira payer par cette premier lettre de Change, à mon ordre la Somme de mille livres, pour valeur en moy même & mettez à Compte, comme par l'avis de

A Monsieur Monsieur Francois, A Roüen.	*Vôtre tres-humble Serviteur, Gervais.*

21 Verùm in litteris sexti Exempli semper una, vel duæ Personæ subaudiunt, nam vel Tracta vel Remissa, vel etiam utraque simul fit ad computum tertii, in litteris Cambii non nominati, sed tantùm in litteris de aviso seu Spacchiis, & his casibus ille, ad quem dirigitur Cambium, subit vices plurium, sibique ipsi (s) & solvit & recipit solutionem; requiritur autem necessariò, ut vel Tracta, vel Remissa fiat pro computu tertii, cum esse nequeat, ut quis sibimet solvat, nisi ad aliquam causam extraneam; adeò ut ad minimum tres, & aliquando quatuor Personæ essentialiter requirantur in litteris Cambii.

22 Septimi Exempli litteræ raræ sunt, nihilominus tamen eas vidi, & sunt, qui movent quæstionem, an pro litteris Cambialibus sint reputandæ? Pro cujus quæstionis resolutione inquirendi sunt casus, quibus hujusmodi litteras conveniunt; Ego eorum duos observavi; *Primus* est, quando Banckerius habet mandatum trahendi ad aliquem locum, pro certo pretio, quod lucrosum quidem judicat, sed non inveniens occasionem tali vel alio pretio trahendi, eo quod pro isto loco non reperiatur pecunia, se resolvit Cambium, quod ad amici computum trahit ad proprium potius computum sumere, quàm amico non gratificari, & expectans occasionem super Cambio aliter disponendi, conficit interim litteras de suo proprio ordine solvendas. *Alter* est, quando Trassans est creditor ejus in quem, vel cui trahit, & priusquam de tali credito disponat, intendit mediante acceptatione se securum reddere de privilegio Cambiali. Quibus casibus dubitandum non puto, quin hujusmodi literæ sint veræ Cambiales, quia substantialia in iis occurrunt, nempe ex unâ parte Remissa de loco ad locum, & ex altera parte consensus Trassantem inter & Remittentem, & ex superabundanti consensus Acceptantis; & quidem de consensu Trassantis constat in primo casu ex litteris mandantis trahere ab eo, qui dat valutam, & licèt hic de tali consensu duorum non constet ex litteris Cambialibus, nisi per unicam Personam, propterea tamen non cessat esse perfectus, cum in effectu repræsententur duæ Personæ, mandantis scilicet, & mandatarii, uti suprà demonstratum est.

Quod

(s) Propriè diversis respectibus una Persona potest fungi vice duarum Rota Genuens. *decis. 1. n. 47.*

Quod ſi quis in ſecundo caſu objiceret non adeſſe conſenſum duorum, reſponderi poterit conſenſum mediante ordine eſſe plenum & perfectum, & per conſequens litteras Cambii eſſe abſolutas.

Porrò notandum eſt, Exceptionem invaliditatis litterarum Cambii, neque ab Acceptante, ad evitandum paratam executionem & corporale arreſtum, nec etiam à Præſentante ad purgandum moram & negligentiam in non præſentando debito tempore, commiſſam obmoveri poſſe, ſed utrumque repellendum eſſe; Acceptantem, quia recognovit & acceptavit litteras tanquam validas, hocque ſuo facto effecit, quod Præſentans ejus fidem ſecutus fuerit, Præſentantem verò, quia litteras quia pariter litteras pro Cambialibus acceptavit, ſeque ad eam diligentiam obligavit, quæ in exigenda ſolutione litterarum Cambialium requiritur.

Præcedentibus Exemplis placet octavum valde rarùm adjungere.

VIII. EXEMPLUM.

Cadoni 20. Auguſti 1679. pro lib. 3000.

Honorate.

Vigeſimâ proximè futuri Menſis Decembris ſolvam Pariſiis apud P... de ordine Thomæ Summam ter mille librarum, valutâ acceptâ ab ipſo in mercibus.

Clemens.

Can den 20. Auguſti 1679. pro l. 3000.

Auff den zwantzigſten nechſtkünfftigen December zahle ich in Pariß bey Herrn P... auff ordre von Herrn Thomas die Summa von Dreytauſend livres, die Werth von demſelben an Wahren empfangen.

N. Clemens.

A Caën ce 20. Aouſt 1679. pour l. 3000.

Au vintieme Decembre prochain je payeray dans Paris Che- Monſieur P... à l' ordre de Thomas, la Somme de trois mille livres pour valeur reçuë de lui en Marchandiſes.

N. Clement.

Veruntamen in litteris Cambii non ſunt niſi duo contrahentes ſeque mutuò obligantes, nimirum Traſſans ſe obligat ad procurandum ſolutionem, & Remittens ad curandum recipi eandem: duo reliqui, Aceptans & Præſentans interveniunt tantùm pro executione, nihilominus tamen habent pro naturâ & circumſtantiis caſuum ſuas actiones, quod ſequentibus Capitulis dilucidabitur. 23

Secunda conſideratio reſpicit tempus ſolutionis litterarum Cambii, quod refertur ad quinque modos diverſos. 24

25 Primus est (t) litterâ visâ auff sicht/*à vûë ou volunté*, & tunc solutio post præsentationem in continenti præstanda est.

26 Secundus tot diebus litterâ visâ Acht/vierzehn ꝛc. Tag nach sicht *à tant de jour de vûë* quod est tempus incertum, nec determinatur, nisi per præsentationem, quia priùs non incipit currere quàm à die præsentationis, ut interea Acceptans possit Summam solvendam comparare.

27 Circa hæc duo tempora oritur difficilis & hactenus non discussa quæstio, an scilicet, si præsentatio litterarum differatur, Trassans teneatur de casu fortuito, quam suo loco examinabimus.

28 Tertium est, *à tant de jours d'un tel mois*, auff gewisse Tag eines Monaths/*certo die alicujus Mensis*, quod determinatur per litteras.

29 Quartum est, *à un ou plusieurs usance*, auff eine mehr gewöhnliche Zeit/ *ad usum simplicem vel multiplicatum*, quod determinatur usu & observantia plateæ, ad quam dirigitur tracta, incipitque currere vel à datâ litterarum, vel à die acceptationis, & est longius vel brevius, prout est observantia (u) cujusque plateæ. In Galliâ usus regulariter est 30. dierum Edict. Mensis Martii 1673. Tit. 5. Sed inter plateas extraneas magna est discrepantia, quarum particulares usus, sicut in principalioribus practicantur, huc referre lubet, difficile namque foret accuratam de iis notionem invenire.

Londini usus litterarum Gallicarum est Mensis spatium à datâ litterarum, Hispanicarum duorum Mensium, Venetarum, Genuensium & Livornensium tres Menses. 30

Hamburgi usus litterarum Cambii Gallicarum, Anglicanarum & Venetarum est duorum Mensium, à data litterarum Antvverpiensium, & Nurimbergicarum quindecim dierum litteris visis. 31

Venetiis usus litterarum Ferrariensium, Boloniensium, Florentinarum, Lucensium & Livornensium est quindecim dierum visis litteris, Romanarum & Anconensium decem dierum visis litteris, Neapolitanarum, Bariensium, Lecensium, Genuensium, Augustanarum Vindelicorum, Viennensium, Nurimbergicarum & ex oppido S. Galli quindecim dierum litteris visis, Mantuanarum, Modenensium, Bergamensium & Mediolanensium viginti dierum à datâ, Ambsterdamensium, Antvverpiensium & Hamburgensium duo Menses à datâ, Londinensium tres Menses à datâ. 32

Mediolani usus litterarum Cambialium Genuensium est octo dierum litteris visis Romanarum decem dierum litte- 33

(t) Quando dicitur pagate à litterâ visâ, videtur celerior, quàm in reliquis injuncta solutio, vel saltem celeritas stat expressa, & concludo solutionem esse faciendam statim, atque litteræ sunt ostensæ Scacc. §. 2. *gloss.* 5. *n.* 5. Turri *in prolog. ad disp.* 2. *n.* 55.

(u) Quando dicitur à usu, dico solutionem faciendam esse infra decem & plures & paucio-res dies, secundùm usum & placitum platearum, in quibus fiunt Cambia. Scacc. §. 2. *gloss.* 5. *n.* 8. Rot. Genuens. *dec.* 32. *n.* 6.

litteris viſis, ex oppido S. Galli viginti dierum litteris viſis, & Venetarum viginti dierum à datâ.

34 Florentiæ uſus litterarum Cambii Bononienſium eſt trium dierum litteris viſis, Romanarum & Anconenſium decem dierum litteris viſis, Venetarum & Neapolitanarum viginti dierum à datâ.

35 Bergami uſus litterarum Venetarum eſt viginti quatuor dierum à datâ.

36 Romæ uſus litterarum Cambii Italicarum erat decem dierum; ſed per abuſum extenſus eſt ad quindecim dies litteris viſis.

37 Anconæ uſus eſt quindecim dierum litteris viſis.

38 Boloniæ uſus eſt octo dierum viſis litteris.

39 Livorni uſus litterarum Cambii Genuenſium eſt octo dierum litteris viſis, Romanarum decem dierum litteris viſis, Neapolitanarum trium dierum à datâ, Londinenſium tres Menſes à datâ, Ambſterdamenſium quadraginta dierum à datâ.

40 Ambſterdami uſus litterarum Cambilium Gallicarum & Anglicanarum eſt Menſis ſpctium à datâ, Venetarum, Madritenſium, Cadicenſium & Sevilienſium duo Menſes à datâ.

41 Nurimbergæ uſus omnium litterarum Cambialium eſt quindecim dierum viſis litteris.

42 Viennæ Auſtriæ ſimiliter.

43 Genuæ uſus litterarum Cambialium, Mediolanenſium, Florentinarum, Livornenſium, & Lucenſium eſt octo dierum viſis litteris, Venetarum, Romanarum & Bolonienſium quindecim dierum litteris viſis, Neapolitanarum viginti duorum dierum litteris viſis, Sicilianarum Menſis ſpacium litteris viſis, vel duo Menſes à datâ, Sardinianarum Menſis ſpacium viſis litteris, Antvverpienſium & Ambſterdamenſium, aliarumque ex plagis Belgicis venientium tres Menſes à datâ.

Quintum eſt in numeratione, aut in 44
feriis ſive nundinis, hoc non eſt generale per omnes plateas; ſed tantùm per illas, ubi ſunt nundinæ ordinariæ, ſicut Lugduni, Francofurti, Lincii & pluribus aliis, & hoc tempus determinatur per ordinationes & ſtatuta nundinarum.

Quantum ad id, quod eſt ſolven- 45
dum, ſcilicet Summam in litteris Cambialibus expreſſam, quæ fuit tertia conſideratio, ſatis eſt obſervari, quod quando litteræ Cambiales factæ ſunt ſuper moneta locali, quæ non eſt in curſu in illa platea, in quâ ſolvi debet, exprimendus ſit valor pro eâ præſtandus, ſicut in quarto & ſexto exemplo, ubi poſuimus valorem monetæ Ambſterdamenſis & Francofurtenſis, quo mille Imperiales taxari debeant.

Tandem quoad quartam & ulti- 46
mam conſiderationem, quæ reſpicit valutam, Edicto Menſis Martii 1673. Tit. 5. art. 1. Sancitur, ut declaretur in litteris Cambialibus, utrum valuta in paratâ pecuniâ, mercibus vel aliâ re recepta fuerit, verùm quia hoc Edicto non tenentur extranei, hinc videmus in eorum litteris Cambialibus tantùm exprimi *valutam eſſe habitam* abſque

quod

quod dicatur in quo genere rerum, vel etiam *valutâ ab N.* absque verbo *solutâ*, non minùs quàm sic, valutâ in me ipso; præterea ex sanctione edicti oriuntur diversæ exceptionum materiæ, de quibus suis locis.

Ex hoc Capitulo colliges sex Axiomata.

AXIOMATA.

1. Termini litterarum Cambialium sunt arbitrarii, modò exprimant eos, qui illas fecit, qui debent solvere, quando debeant solvi, qui dedit valutam, & quo modo valuta soluta sit.

2. Regulariter intrant litteras Cambiales quatuor Personæ vel saltem tres: quandoque non apparent nisi duæ, verùm his casibus semper una vel duæ subintelliguntur.

3. Quantumvis sint aliquando quatuor Personæ vel tres in litteris Cambialibus[1], duæ tamen tantùm sunt, qui contrahunt, is, qui litteras facit, & qui dat valutam, qui est proprietarius Cambii, reliquæ duæ non intrant nisi pro executione.

4. Licet is, qui debet solvere litteras Cambiales, & is, qui debet recipere solutionem, non intrent nisi pro executione, nihilominus tamen possunt ex iis habere actiones pro varietate casuum.

5. Tota terminorum solutionis diversitas reducitur ad quinque tempora *à vûë ou à volunté*, auff sicht / *litteris visis*, *à tant de jours de vûë*, auff so viel Tag nach sicht / *tot diebus visis litteris à tant de jours d'un tel mois*, auff sicheren Tag eines Monaths / *certo die alicujus Mensis*, *à un ou plusieurs usances*, auff ein oder mehr Gewonheits Zeit / *ad unum vel plures usus*, *aux payemens ou à la foire*, auff Zahls-Zeit oder auff die Meeß / *in numeratione* vel *in feriis*.

6. Si litteræ Cambiales fiant in moneta, quæ non habet cursum, ubi debet solutio fieri, ponendum est pretium quo debeat taxari.

CAPUT V.

Utrum possit quis resilire à Contractu Cambii? & utrum possit opponi exceptio non numeratæ pecuniæ?

SUMMARIA.

1. *An is, qui pactus est de sumendis litteris Cambii possit resilire sub aliquo prætextu.*

2. *Pactum de sumendis litteris probatur per scripturam vel juramentum.*

3. *Très*

3. *Tres sunt opiniones circa propositam quæstionem.*
4. *Prima est, Remittentem resilire posse, sive valuta data sit, sive non.*
5. *Secunda est Remittentem non posse resilire sub ullo prætextu.*
6. *Tertia est sub distinctione.*
7. *Hujus opinionis error ostenditur.*
8. *Secunda opinio teneri potest tanquam Regula, quæ tamen limitatur pro qualitate circumstantiarum.*
9. *Si superveniat gravis suspicio contra Trassantem, potest peti cautio, quâ omissâ non tenetur Remittens ad valutam.*
10. *Secus si suspicio sit levis, cujus ratio additur n. 11.*
12. *Si suspicio legitima non adsit, aut Trassans cavere paratus sit, pœniteri non potest.*
13. *Utrum Trassans possit pœnitere, ubi duæ quæstiones ponuntur.*
14. - *Prima, an quis se eximere possit ab obligatione dandi litteras promissas, quæ distinctione resolvitur.*
15. *Altera si datæ sint litteræ, an Trassans possit obmovere exceptionem non numeratæ pecuniæ, in quæ dupliciter distinguitur.*
16. *Prima distinctio, quæ non est generalis n. 17.*
18. *Secunda distinctio, quæ dilucidatur n. 19. & 20. & 21. & 22.*

PRoposita quæstio cùm duas Personas sibi invicem oppositas, tangat, Trassantem nimirum & Remittentem, idcirco quo ad utrumque separatim tractanda est.

Initium sumemus à Remittente, utpote cujus interesse primarie vertitur, ex quo litteræ Cambiales non sint, nisi instrumentum, quo mediante is recipit solutionem.

Igitur quæstio est, an is, qui pactus 1
est de sumendis litteris Cambialibus in aliâ civitate solvendis, possit à tali pacto resilire sub aliquo prætextu, v. g. propter suspicionem non consequendæ solutionis, quia Trassans non habet pecuniam vel merces apud eum, ad quem dirigitur tracta, vel propter defectum fidei, vel ob aliam causam, & reddere litteras Cambii, si eas acceperit, vel non recipere, si offerantur; recusare solutionem valutæ, vel repetere, si soluta fuerit.

Suppono pactum esse probatum, 2
vel per scripturam, vel per juramentum; nam pér testes probari non potest, si sit ultra centum libras juxta ordinationes, neque etiam per mediatorem seu proxenetam, nisi utrâque parte consentiente [x] quo casu ejus solius testimonio statur, uti tradit Mareschal in tractatu suo *des changes & rechanges Chapit. 13. pag. 229.*

(x) *Et de même le proxenette Courretier est non seulement admis en témoignage au different des parties sur l'affaire qu'il à negrciée; maîs* illis requirentibus, *il y peut être contraint* Accurs. Bart. & Angel. ad authent. de testib. §. quoniam *& en ce cas*, solus plenè probat id Bart. *in L. Lucius ff. de fidejus.* Félin. *ad cap. Veniens de testib.*

Le contraire est, si l'une des parties l'empêche: car en ce cas il ne peut être têmoin Accurs. eod. §. quoniam *Maréchal Traité des Changes, Chapit. 13. page 239.*

3 Pacto probato tres sunt opiniones diversæ.

4 Prima est credentium remittentem resilire posse, sive valutam solverit, sive non, sed ejus absurditas tam evidens est, ut refutatione non egeat.

5 Secunda est sustinentium, quod eum, qui pactus est de recipiendo Cambio non possit pœnitere [y] sub ullo prætextu; cum enim Contractus Cambii fiat in utilitatem utriusque contrahentium, alterâ parte invitâ rescindi non potest. Hæcque opinio fundatur in Regula generali, quod contractus ab initio sint voluntatis, ex post vero necessitatis.

6 Tertia est distinguentium, an valuta fuerit soluta, vel non, ut primo casu pœnitere non liceat, secundo vero sic, quia res adhuc est integra.

7 Verùm hi longè aberrant, nam cum contractus Cambialis sit species emptionis & venditionis (z) subjacet eisdem regulis: sicut ergo emptio & venditio non desinit esse perfecta, etiamsi pretium solutum non sit, ita quoque contractus Cambii perfectus est etiam non datâ valutâ.

8 Secunda igitur opinio teneri potest pro regulâ generali, tanquam magis probabilis: verum, quia possunt occurrere circumstantiæ facti & causæ suspicionis tam prægnantes, ut aliter judicandum sit; examinandæ sunt istæ causæ, & quid circa eas considerandum sit.

Si causa oriatur ex notabili mutatione conditionis ipsius Trassantis post conventionem de cambiando, ut verisimile non sit, casu quo litteræ Cambii remitterentur cum protesto, eum posse valutam reddere; hoc casu posset peti cautio de solvendis litteris Cambialibus, quâ (a) deficiente, is, qui promisit dare valutam, poterit intermittere solutionem, non secus ac Emptor si periculum evictionis adsit, ad solvendum pretium sine cautione compelli nequit, posset insuper valuta, si soluta esset, repeti. 9

Sed si causa hujusmodi suspicionis levis sit (b) & in notorietate & evidentia non fundetur, is, qui pactus est sumere litteras Cambii, ad solvendam valutam & exequendum conventionem præcisè & absque ullâ cautione tenetur, porrò, si causa suspicionis non oriatur post conventionem, non erit prætex- 10

(y) Quando Campsor, qui facit litteras Cambii, non vult rescindere contractum Cambii, non tenetur restituere pecunias, nam cum contractus Cambii fiat in utilitatem utriusque partis, non potest rescindi altera parte invita. *Scacc. §. 2. gloss. 5. n. 351.*

Sicut initio libera potestas unicuique est habendi vel contrahendi contractus, ita renuntiare semel constitutæ obligationi, adversario non consentiente, non potest; quapropter intelligere debetis voluntariæ actioni semel vos nexos ab hac non consentiente alterâ parte, de cujus precibus fecisti mentionem minimè posse discedere *L. 5. C. de oblig. & act.*

(z) Emptio & venditio contrahitur, simul atque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit. *Inst. lib. 3. Tit. 24.*

(a) *L. 24. C. de evictionib. L. ult. in fin. ff. de condict. caus. dat.*

(b) *L. ff. de eviction.*

textus legitimus ad resiliendum aut petendum cautionem; eo enim tempore, quo contrahit vel fuit (c) vel esse debuit non ignarus conditionis ejus cum quo contraxit.

11 Quod si enim ob quamlibet levem suspicionem, aut quæ tempore conventionis prævideri potuit pœnitere liceret, bona fides annullaretur in commerciis, & qui contraxit Cambium, non servaret illud, nisi in quantum sentiret ex eo lucrum, sique daretur ansa tractandi minori pretio cum alio, recederet à primo, & contraheret alterum quod produceret universalem confusionem in commerciis.

12 Quare concludendum est, quod is, qui dat valutam, si suspicionem legitimam & noviter emergentem non habeat, aut Trassans cautionem de solvendo litteras præstare non detrectet, resilire à conventione non possit.

13 Utrum verò is, qui promisit dare litteras Cambii, se ab hac obligatione eximere litterasque non dare, vel si datæ sint facere possit ne solvantur; duæ sunt quæstiones examinatu dignæ.

14 Ad primam, an quis possit se eximere ab obligatione dandi litteras Cambiales promissas, distinguendum est, vel enim valuta pro iis accepta est, sicut in casibus, ubi data sunt reversalia de litteris Cambialibus dandis, de quibus agitur in Tit. 5. art. 27. & 29. Edicti de Mense Martio 1673. & hoc casu nullo modo se liberare potest, vel valuta non est accepta, & post conventionem supervenit notabilis mutatio, unde fortis præsumptio oritur, ita ut superius explicato modo, concludi facilè possit in ejus, qui valutam promisit, potestate non esse, illam convento tempore præstare, hoc casu justa causa foret denegandi litteras Cambiales, nisi sufficienter caveatur; verùm si suspicio levis & sine fundamento, & non noviter superveniens sit, contractus præcisè implendus est.

Ad alteram quæstionem, si datæ sint litteræ, an Trassans possit obmovere exceptionem non numeratæ valutæ? aliqui mercatorum faciunt duplicem distinctionem. 15

Prima est, utrum litteræ Cambiales exprimant valutam acceptam in paratis, vel valutam permutatam, & ajunt, quando exprimunt valutam acceptam in paratis, Trassantem omnino teneri ad curandum solutionem, idque sub præjudicio omnium expensarum, damni & interesse; sed si valuta aliis modis declaretur, Trassantem non teneri solutionem curare, nisi intermedio tempore quo datæ sunt litteræ & mutua extraditio fieri debet, ei de valuta satisfactum sit. 16

Hæc decisio non est generaliter vera, prout infra demonstrabitur. 17

Secunda distinctio est, utrum litteræ Cambiales solvendæ sint, v. g. Luciano, aut de ejus ordine, vel simpliciter de ordine Luciani. 18

Si solvendæ sint Luciano simpliciter, aliqui præsupponunt intentionem contrahentium non fuisse, quod litteræ Cambiales debeant posse transferri 19

(c) L. 19. ff. de Reg. jur.

& cedi alteri, & dicunt Traſſantem non teneri ad procurandum ſolutionem, niſi ei de valutâ ſit ſatisfactum.

20 Hæc opinio conformis eſt diſpoſitioni Articuli 30. Tit. 5. Edicti de commerc. & licet iſte articulus loquatur tantùm de reverſalibus Cambii, ob paritatem tamen rationis poteſt etiam applicari ad litteras Cambii, tantò magis, quod articulus 18. ejuſdem Tituli, qui tractat de litteris Cambii eſt ejuſdem intellectus, & licet quotidiana experientia oſtendat, quod litteræ Cambii, quamvis ſimpliciter certæ Perſonæ ſolvendæ ſint, cedantur, & quod à viginti & pluribus annis paucæ viſæ ſint litteræ Cambii, quin pluribus ſucceſſivè ceſſæ fuerint, paſſim coram notario ipſa ratio etiam dictet, quod quis proprietatem (d) litterarum non haberet, ſi de iis non poſſet pro lubitu diſponere, quam tamen ex conventione certum eſt, quod Remittens mediante traditione à Traſſante acquirat; nihilominus tamen, cum hujuſmodi litteræ non aliter, quam cum ſuâ causâ transferri valeant, omnes exceptiones Traſſanti ſalvæ manent, ad quemcunque litteræ devenerint, cum ceſſionarius plus juris habere nequeat, quàm ejus author, maximè cum Traſſans fidem ſuam ſequendi occaſionem nullam dederit clarè exprimendo quod non intendat agere cum alio, quam à quo valuta eſt declarata.

21 Et ſi litteræ Cambii ſolvendæ eſſent de alicujus ordine, & devenerit ad tertium, Traſſanti adhuc liberum erit examinare, an non eæ adhuc realiter ſpectent ad eum, quocum contraxit, & à quo valuta eſt declarata? iſto enim caſu exceptiones ejus adhuc ſalvæ manent: Si verò litteræ Cambii exprimant pro valutâ acceptâ in paratis, difficile foret exceptionem non ſolutæ valutæ, contra propriam confeſſionem in litteris Cambii factam opponere, neque alio modo hæc exceptio probari poſſet, quàm per librum aut juramentum ejus, cui litteræ Cambii datæ fuerunt. Quod ſi litteræ Cambii exprimant valutam permutatam (e) aut alio modo præſtitam, ut tamen appareat non eſſe realiter, & in effectu in paratis ſolutam, hoc caſu exceptio in ipſis litteris Cambii fundata eſſet.

22 Verùm ſi proprietas litterarum Cambii vigore ordinis devenerit ad tertium, Traſſans exceptione nullâ ſe tueri poterit, quomodocunque valuta declaretur, nam dando litteras Cambiales fidem habuit de pretio ei, cui dedit, & ſi devenerint ad alias manus, vindicare non poterit, eâdem ratione quâ

(d) Propriè enim Dominium eſt proprietas *Duaren diſp. 17.* ita Dominium definivit, jus de re aliquâ corporeâ plenè ac liberè diſponendi, extra quam, ſi quid lege prohibeatur. *Godefr. in rubr. ff. de acq. rer. dom.*

(e) Si recuſes ſolvere eo quod aſſeras fuiſſe à te mihi ſolutas in confectione litterarum, quia mercatores non faciunt litteras Cambii, niſi pecunias recipiant; Ego poſſum replicare, quod fecerim litteras ſpe futuræ numerationis. Scacc. *§. 2. gloſſ. n. 7.*

quâ venditor (f) non potest vindicare merces, quæ habitâ fide de pretio venditæ, ad alias manus transiverunt, propriæ enim factæ sunt emptoris, cui liberum fuit de iis ad placitum disponere, quæ juris Regula ad casum litterarum Cambii pertinenter applicari potest, quia illas dans aliud non agit quam nomen ejus vendere, qui jubetur solvere, idque si fiat habitâ de pretio fide, mox perdit proprietatem, adeò ut si desinant esse penes eum, qui certo tempore promisit valutam, qui est quasi emptor, eas amplius vindicare non possit, & damnum quod inde sentit facilitati propriæ (g) impensum ferre debeat; iniquum aliàs foret, culpam Trassantis, cujus est, litteras sine valutâ non extradere, occasionem facere, fallendi eum, qui fidem litterarum secutus contraxit.

Substantia hujus Capituli quatuor axiomatibus comprehenditur.

AXIOMATA.

1. Cum contractus litterarum Cambii celebretur in utriusque, tam Trassantis, quàm Remittentis utilitatem rescindi non poterit, sine legitimâ causâ, aut mutuo consensu.

2. Sicuti emptor solutionem pretii denegare, aut solutum repetere potest, si post emptionem periculum evidens evictionis superveniat, nisi sufficienter satis detur: ita quoque qui promisit accipere litteras Cambii, qui est quasi emptor, recusare potest valutam, aut eam repetere; si post conventionem superveniat periculum evidens, ne litteræ non solvantur, & Trassans factâ protestatione sit incapax solvendo retornum, nisi saltem sufficiens præstetur cautio.

3. Sicuti venditor, habitâ fide de pretio præcisè tenetur ad tradendum rem venditam, nisi superveniat casus, quo emptor redditur non solvendo; ita quoque qui promisit dare litteras Cambii, tenetur præcisè ad eas dandum, nisi superveniat casus, quo is qui promisit valutam, redditur incapax solvendi eam tempore convento.

4. Donec proprietas litterarum Cambii non transeat in aliam personam, Trassans habet suas exceptiones salvas, sed translatâ proprietate impleri debent, salva actione contra eum quocum contraxit.

 CA-

(f) Sed si is, qui vendidit fidem emptoris, sequutus fuerit, dicendum est statim rem emptoris fieri §. 41. *Inst. de rer. div. l. 19. ff de contrah. empt.* Loüet *Litt. P. n. 19.* & Broudau eod. Baquet *des droits de Justice Chap. 21. n. 409.*

(g) *L. 203, de Regul. Jur.*

CAPUT VI.

De Præsentante.

SUMMARIA.

1. *An Præsentans teneatur præsentare, & possit obligare ad acceptandum litteras Cambii.*
2. 22. *Explicatio Art. Tit. 5. Edicti Mensis Martii 1673.*
3. *An & quomodo Præsentans obligetur ad præsentandum & faciendum accepturi literas.*
4. *An & quando Traßantis intersit præ præsentari & acceptari litteras Cambii.*
5. *An & quando præsentans teneatur de morâ in non præsentando.*
6. *Recensetur casus commissæ moræ in præsentando litteras solvendas octo diebus litterâ visâ.*
7. 8. *Opiuio Præsentantem non teneri de morâ, & rationes.*
9. 10. *Contraria opinio, quæ probatur.*
11. Scaccias *in Tractatu de Cambiis non tractavit de formulâ tot diebus litterâ visâ.*
12. *An Præsentans sit absolutus arbiter litterarum, ut possit ad lubitum præsentare quando vult.*
13. *Contractus Cambialis est species emptionis & venditionis, Contractus bonæ fidei, in utriusque utilitatem.*
14. *Emptione perfectâ si venditor in morâ non sit tradendi, periculum transit ad emptorem.*
15. *In contractibus bonæ fidei judicatur ex æquo & bono & non ad litteram.*
16. *Verba litteris Cambialibus inserta tot diebus litterâ visâ interpretanda sunt juxta æquitatem.*
17. *Si contractus Cambialis est in utriusque utilitatem, non convenit, ut alter gaudeat omni utilitate & libertate, alter verò habeat omne periculum.*
18. *Ad constituendum tempus congruum præsentandi, Judex & arbiter posset tempus ad itinerandum necessarium duplicare.*
19. *Cujus officium non est gratuitum magis obligatur.*
20. *In dolo est, qui non facit id, ad quod interpellatus est & quod facere facilè potest.*
21. *Curiâ Parisiens. 7. Septembris 1630. per arrestum declaravit Præsentantem teneri de morâ, si intra 10. dies non fecerit protestum, unde ei pariter imputabitur si tempore opportuno non præsentaverit.*
23. *Explicatio L. 39. ff. de solut.*
24. *Præsentans non tenetur curare acceptationem, nisi id ei fuerit mandatum quo casu tenetur de morâ.*
25. *Non est generale quod ipse Præsentans faciat acceptari*
26. *Litteræ aliquando sunt accepta-*

ta

ta, antequam ad eum pervenerint, quod demonstratur. Exemplo.

27. *Si litteræ præsentatæ nolint acceptari in scriptis, fit protestum per duos Notarios aut Notarium & duos testes, prout cujusque loci solemnitas requirit.*

28. *Forma protesti.*

POstquam egimus de duabus Personis Cambium contrahentibus, proximum est, ut de Præsentante agatur, cujus obligationes & jura examinanda sunt.

1 Primum quod Præsentantem concernit, sunt Præsentatio & Acceptatio litterarum Cambii, videndum itaque an teneatur præsentare & procurare acceptari litteras Cambii, & an possit acceptantem ad acceptandum constringere.

2 Videtur de præsentatione inutiliter proposita quæstio, quia Edictum Mensis Martii 1673. Tit. 5. art. 2. abrogat consuetudinem quâ litteris Cambialibus cum tempore tot dierum litterâ visâ inscribebatur nudum verbum *Visa* (h) ad determinandum mutuam extraditionem, sine tamen ullâ necessitate. Verum cum hoc Edictum extra Galliam legem non faciat, imò expressè excipiat ordinationem civitatis Lugdunensis, qua confirmatur consuetudo, quod nemo teneatur acceptare alias litteras, quam quæ solvi debent in aliquâ numeratione seu pagamento sequente quatuor ferias seu nundinas, qualia sunt Pagamentum Regum, seu feriarum Regum, à primâ Martii usque ad primam Aprilis, Pagamentum Paschatis seu feriarum Paschalium, à primâ Junii usque ad primam Julii, Pagamentum Augusti, seu feriarum Augusti, à primâ Septembris, usque ad primam Octobris, & Pagamentum Sanctorum, seu feriarum Omnium Sanctorum, à primâ Decembris usque ad primam Januarii; sic quæstio plenè examinanda est.

Præsentans non tenetur præsentare & facere acceptari litteras Cambii, nisi in quantum Trassantis aut Remittentis, aut illorum, in quos scripti sunt ordines, quibus mediantibus litteræ ad ipsum pervenerunt; interest. 3

Trassantis interesse nullum versatur in acceptatione litterarum Cambii, quia per solam acceptionem non liberatur, sed manet obligatus usque ad solutionem (i) hæcque est praxis uni- 4

(h) *Toutes les lettres de Change seront acceptées par écrit, purement, & simplement, abrogeons l'usage de les accepter verbalement, ou par ces mots; veu sans accepter, ou accepté pour répondre au tems, & toutes autres acceptations sous condition lesquelles passeront pour refus & pourront les lettres être protestées Edit. du mois Mars. 1673.* Tit. 5. art. 2.

N'entendons rien innover à notre Reglement du second jour de Juin 1667. pour les acceptations les payements, & autres dispositions concernant le commerce dans nôtre ville de Lyon. art. 7.

(i) Scribentes litteras Cambii semper tenentur ad pecunias in eorum litteris contentas persolvendas actoribus, donec appareat fuisse solutas & satisfactas per illos, solvere debentes in litteris deputatos Rota Genuens. *decis. 1. n. 6. decis. 8. n. 19.*

universalis, ejus igitur interesse tantùm versatur in præsentatione & quidem earum solummodo litterarum, quæ sunt, *visâ litterâ*, vel *tot diebus visâ litterâ*, ad hoc nimirum ut terminus solvendi determinetur; aliarum verò litterarum, quarum solutio determinatur per præfixum diem certum Mensis, per usum, per pagementa vel ferias, præsentatio respectu Trassantis, nihil operatur.

5 Tota igitur quæstio in hoc versatur, an Præsentans, si litteras *à vistâ*, vel *tot diebus à vistâ* intra tempus congruum præsentare neglexerit, teneatur de casu fortuito ut non habeat regressum contra Trassantem; quod clarius explicabitur per exemplum quod Anno 1675. in facto contigit.

6 Gallus aliquis à servitiis Regis existens Treviris, scripsit Anno 1675. Mense Majo Fratri suo Mercatori Parisiensi, ut ei traheret intra paucos dies Summam bis mille librarum, Frater Parisiensis tractavit desuper cum Banckerio Parisiensi, cum damno duorum pro centum (hoc est dicere, quod non accipiat nisi mille noningenta & sexaginta libras pro istis bis mille libris solvendis in platea Treverensi) & dedit 12. Junii litteras Cambii octo diebus à vistâ solvendas, de ordine istius Banckerii, erga valutam numeratam. Hic Banckerius, qui dederat valutam, eodem die litteras transfert in alium Banckerium pariter cum damno duorum pro centum, & indorsando ordinat eas esse solvendas de ordine hujus ultimi Banckerii. Eo tempore cursores erant ordinarii inter Civitates Parisiensem & Trevirensem, qui quâlibet hebdomedâ duabus vicibus portabant litteras, iterque ab unâ civitate ad alteram quinque diebus omni securitate perficiebant, commercium etiam Parisiis Treviros erat apertum, usque ad quartam Augusti, quo die Urbs Trevirensis circumclusa, & expost obsessa & capta fuit; istâ intercapedine temporis, à 12. Junii usque ad 4. Augusti, Trassans & primus Banckerius sæpius sollicitaverunt ultimum, ut litteras Cambii transmitteret, & ipse jamtum transmissas affirmavit; & tamen toto illo tempore quo commercia & iter inter utramque civitatem fuerunt liberrima, litteræ non fuerunt præsentatæ, interea Gallus, qui morabatur Treviris & qui intra paucos dies in se trahi mandaverat, nummos, ab eo tempore quo nuntium accepit tractam in se factam esse, paratos tenuit; tandem Urbs occupatur, ipse ab hoste capitur, summaque ad solutionem Cambii destinata, & alia pecunia quam præterea habebat, cum omnibus ejus effectibus spolio cedunt; Pauco tempore post expugnationem Urbis, ultimus ille Banckerius Trassanti litteras Cambii reportat, & valutam repetit, sciens statum Treveris taliter mutatum, ut eæ solvi ibidem amplius non possint; Trassans sustinebat se ad reddendum valutam non teneri, quia ultimus hicce Banckerius non debebat tanto tempore expectare, sed litteras Cambii maturius transmittere, maximè cum fuerit, propterea aliquoties interpellatus,

&

& quod cum id intermisit, suæ negligentiæ impensum ferre debeat, quod pecunia, quæ solvendo tali Cambio destinata fuit, perierit.

7 Opiniones Mercatorum super hac facti specie erant diversæ; aliqui censebant, Traffantem ad restituendum valutam obligatum esse, eo quod Litteræ Cambij fuerint *tot diebus à vistâ*, & Præsentans tales præsentare possit quandocunque sibi bonum videtur, sine ulla limitatione temporis cum posit si sit Banckerius [sicut in præsenti casu fuit] eas pro arbitrio suo alienare, & si itinerans sit, esse incertus quo tempore ad illum locum venturus sit, ubi Litteræ Cambij solvendæ sunt, & si quis tempus istud determinare vellet, se conformare deberet dispositioni Tit. 5. art. 13. Edicti Mensis Martij 1673. ubi ordinatur, quod Præsentantes debeant indemnitatem à Traffantibus petere intra tempora, juxta distantiam locorum præfixa; urbs Trevirensis est sita in Germania, ubi tempus istud est trium mensium.

8 Quod tempus quinque dierum quo cursores ordinarii iter perficiunt non sit considerandum, quia ad præsentandum litteras, nemo tenetur proficisci cum cursoribus, sed posit uti suâ commoditate.

9 Alii existimarunt, quod supposito, pecuniam eo tempore, quo tracta facta est, usque ad Expugnationem urbis Trevirensis, ad solvendum litteras Cambij paratas fuisse, omne periculum & damnum ad ultimum Bancherium spectasse.

Hæc opinio rationi magis conformis est, considerando naturam & proprietates contractus Cambialis, quæ via certissima est, juste judicandum sicut mox infra monstrabitur.

Dubium non est; quin Resolutio propositæ quæstionis propter ejus novitatem sit difficillima, nam licet multi Authores de litteris Cambialibus scripserint, à nullo tamen hactenus ventilata fuit. Sigismundus Scaccias JCtus Romanus, qui Anno 1617. de omnibus quæ negotium Cambiale concernunt, Amplissime tractavit, & qui reflexiones & glossas scripsit ad singula verba, quibus litteræ Cambiales componuntur, nihil quidquam dixit de litteris *tot diebus à vistâ*, quantumvis loquatur de litteris quæ sunt *à vistâ* simpliciter, *tot diebus certi mensis, ad usum* & *in pagamentis*, unde credi posset, hunc solutionem declarandi modum tunc temporis nondum fuisse practicatum. 11

Nodus consistit in examinatione Thesis generalis, an nimirum Præsentans sit absolute Dominus, in ejusque potestate sit, non præsentare litteras Cambii, ad hoc ut incipiant currere dies *à vistâ* & exigere solutionem, quandocunque ei visum fuerit, & an interea omne periculum pertineat ad Traffantem, seu datorem litterarum; vel, si Præsentans tenetur præsentare intra certum tempus, an periculum adeo ad eum spectet, ut contra Traffantem regressum nullum habeat, propterea quod pecu- 12

nia pro solvendo Cambio fuerit parata apud illum, cui facta est tracta.

13 Pro cujus Resolutione repetenda sunt principia in Capite quarto posita. Remonstravimus ibidem *Primo* Contractum Cambialem esse speciem emptionis & venditionis, *Secundo* esse contractum bonæ fidei, *Tertio* confici in utilitatem utriusque contrahentium, qui sunt, Dator litterarum, & dator valutæ, & non in utilitatem particularem alterutrius.

Assumptis igitur hisce principiis, iisque ad Quæstionem applicatis, certa decisio sequetur.

Primo, quando emptio & venditio
14 perfecta est (k) & venditor in tradendo moram non committit, damnum & commodum casu superveniens, statim ad emptorem pertinet; hoc Theorema ad quæstionem applicando, cum Trassans venditor sit, & mora, quod Præsentanti (qui repræsentat Emptorem) vel ejus mandatario pecunia, quæ Treviris erat, soluta non fuerit, ei imputari non potuerit, concludendum est, quod periculum fuerit emptoris, scilicet Præsentantis.

Secundo in Contractibus bonæ fidei
15 judicandum est ex æquo & bono, interpretando verba late & juxta æquitatem & non juxta litteram, sicut in contractibus stricti juris.

Jam autem interpretando verba lit-
16 terarum Cambij in quibus ponitur, *tot diebus litterâ visâ* juxta æquitatem, dicendum est, quod Præsentans debeat præsentare eas tempore congruo; nam si quis vellet ei facultatem concedere præsentandi ad placitum, interpretatio foret juxta naturam contractuum stricti juris, in quibus ad proprietatem verborum astringimur, quod & hac ulteriori ratione iniquum foret, quia nullo unquam tempore Trassans liberaretur, & omnibus quibuscunque casibus subjaceret.

Tertio, Ex quo Contractus Cam-
bialis fiat in utilitatem utriusque con- 17
trahentium; non convenit, ut unus eorum habeat omnem utilitatem & libertatem, alter vero, omni damno expositus maneat, sine ulla libertate, clarum autem est, quod, si Præsentans plane non teneretur litteras tempore congruo præsentare, haberet omnem utilitatem, quia acciperet solutionem quandocunque ei placeret; & si prævideret monetam proximè augendam in pretio, festinaret; si vero diminutionem pati, retardaret, & sic gauderet plenâ libertate, Trassans vero omni damno expositus maneret, absque quod è converso ullam libertatem habeat, quia certum est, quod postquam valutam accepit, vel litteræ devenerint ad manus tertii, sicut præcedenti capite explicatum est; non possit ullo modo se eximere ab obligatione solvendi litteras Cambii, unà cum omni damno & interesse, si forsitan

(k) *§. 3. Instit. de empt. & vendit. l. 4. ff. de pericul. & comm. rei vendit. l. 1. & 4. C. eod. l. 2. §. ff. de in diem addict.*

(l) *§. 30. Instit. de action.*

tan eæ revertantur cum Protesto; Itaq; ad hoc ut uterq; utilitatẽ sentiat, necesse est ut obligatio sit reciproca, & sicut Trassans tenetur curare ut solvantur litteræ Cambii mox quando solutio exigitur, sic ècontra Præsentans teneatur curare, ut præsententur tempore congruo.

18 Ad determinandum autem tempus congruum publicâ quidem ordinatione opus esset, interim tamen cum talem non habeamus, illud erit in arbitrio Judicis, & juxta æquitatem sustineri potest, ut si litteræ sint datæ itineranti, duplicentur dies itineris, & si datæ sint in commerciis mercatorum, duplicentur postæ ordinariæ.

In hypothesi proposita, duæ adhuc circumstantiæ notandæ sunt, ad decisionem facientes.

19 Una est, quod Trassans dederit duo pro centum, adhoc ut exigeretur pecunia Treviris existens; ita ut utilitas, quam ex Cambio capit, non fuerit gratuita, cum constet pretio cujus intuitu Remittens, dici potest magis obligari ad faciendum celeriter recipi pecuniam, quam si litteras carius aut pretio summæ Cambialis æquali emisset.

20 Altera Circumstanstia est, quod Remittens sæpius fuerit interpellatus & requisitus ad remittendum litteras Cambii, & recipiendum solutionem illarum; Quapropter non est extra dolum apertum, (m) quod non exegerit id, quod exigere facile potuit.

21 Fundamentum contrariæ opinionis, in eo consistens, quod tempus, *tot diebus visâ littera* non sit limitatum, plane infirmum est, nam præterquam quod satis refellatur per hoc, quod (uti supra dictum) in Emptione & venditione periculum ad Emptorem spectet, nisi penes Venditorem steterit, quo minus rem emptam acciperet; Insuper etiam in casu litterarum Cambii servanda est æquitas, libertasque Præsentantis moderanda, ut saltem præsentet tempore congruo, sicuti etiam moderatur in Protestationibus litterarum Cambij; nam licet ante Annum 1664. certum tempus faciendi Protestum ordinatione aliquâ non fuerit statutum, ita ut hoc in mera facultate Præsentantis stare videretur, nihilominus tamen per Arrestum Parlamenti Parisiensis de 7. Septemb. 1630. (n) Curia pronuntiavit, Præsentantem teneri de sua negligentia quod intra decem dies Protestationem non interposuerit, ob eandem ergo æquitatem Præsentanti pariter imputanda erit negligentia, quod tempore oportuno non præsentaverit.

22 Et male fit applicatio Art. 13. Tit. 5. Edicti mensis Martii 1673. quia ibidem agitur tantum de regressu qui quæritur contra Trassantem & Indorsatores, hic autem de Præsentatione illi faci-

E 2

(m) Dolus est, si quis nolit persequi, quod persequi potest, aut si quis non exegerit, quod exigere potest. *l. 44. ff. mandat.*

(n) *Journal des Audiences Livre. 2. Chap. 67.*

facienda, in quem facta est tracta, Ratio autem differentiæ consistit in eo, quod actus qui fit contra eum, in quem facta est tracta nempe Protestum, fieri debeat intra decem dies, juxta ordinationem Artic. 4. ejusdem Tit. ad quærendum autem regressum statuti sint quindecim dies.

23 Demum, ne quidquam quod facit ad delucidationem quæstionis omittatur, non absimilis quæstio proponitur in *L. 39. ff. de solutionibus.* Ibi *si soluturus pecuniam tibi, jussu tuo signatam eam apud Nummularium, quod probaretur deposuerim, tui periculi eam fore, Mela libro decimo nono scribit; quod verum est: Cum eo tamen, ut illud maxime spectetur, an per te steterit, quo minus in continenti probaretur: nam tunc perinde habendum erit, ac si parato me solvere, tu ex aliqua causa accipere nolles.* In nostro casu, per alium non stetit, quo minus præsentarentur & solverentur litteræ, quam per ultimum Banckerium seu per Præsentantem, consequens ergo est, quod pecunia Treviris parata jacens ejus periculi fuerit.

Ex hactenus dictis concludendum est, quod nisi Præsentans litteras Cambii, quæ sunt *tot diebus à vistâ* tempore congruo præsentaverit, non habeat recursum ob casum fortuitum, quod est conforme Articulo 16. (o) Tit. 5. Edicti mensis Martii 1673.

Quantumvis solventium valutam & 24
indorsantium litteras Cambii plurimi intersit ut acceptentur litteræ, quia per hoc nova eaque fortior iis acquiritur obligatio contra Trassantem; Præsentans tamen non tenetur eas facere acceptari, priusquam id ei fuerit mandatum ab illo, qui litteras transmisit: sed si mandatum (p) ad procurandam acceptationem accepit, & illud in tempore pro re natâ congruo exequi neglexerit, tenetur ad omne damnum & interesse negligentiâ suâ causatum.

Non est necesse, ut semper ipse Præ- 25
sentans curet acceptari litteras Cambii, imo, si plures Ordines iis inscripti reperiantur, antequam ad ipsum pervenerint, plerumque sunt jam tum acceptatæ; quia Remittens primas vel secundas ad aliquem correspondentem qui fecit illas acceptari, prius transmisit; Porro si primæ sint transmissæ ad curandum acceptari, cessiones & ordines sunt inscripti secundis, quæ ejusdem tenoris sunt cujus sunt primæ, nisi quod exprimatur, eas non valere, nisi in defectum primarum.

Exem-

(o) *Les Tireurs eu Endosseur des Lettres de Change seront tenus de prouver en cas de denegation, que ceux, sur qui elles etoint tirees leur etoiens redevables, ou avoient provision au tems qu' elles ont du etre protestée, si non ils seront tenus de les garantir.* Edit. de 1673. Tit. 5. art. 16.

(p) Qui mandatum suscepit, si potest id explebit, deserere promissum officium non debet: alioquin, quanti mandatoris intersit, damnabitur: si vero intelligit explere se id officium non posse, idipsum, cum primum poterit debet mandatori nuntiare, ut, si velit, alterius operâ utatur: quod si cum poterit nuntiare, cessaverit, quanti mandatoris intersit, tenebitur. *l. 27. §. 2. ff. mandati.*

EXEMPLUM.

26 Parisiis 18. Augusti 1679. pro 1000.
Thaleris de 54. denariis sterl,

Honorate.

Ad duos usus, placeat solvere per has secundas de Cambio, nisi solutio per primas facta sit, de ordine Thomæ summam mille thalerorum, & quinquaginta quinque denarios pro quolibet thalero, valutâ in paratis accepta ab Amadero, ponas ad computum uti in Spacchiis, & Vale,

Hilario, Obsequios.
Londini. Simeon.

Pariß den 18. August. 1679. zu 1000.
Thal. per 54. D sterl.

MHr. &c.

Auff zwey Uso geliebe dem Herrn diesen meinen anderen Wechselbrieff/ wofern der erste unbezahlt/ ahn ordre Herrn Thomas zu zahlen die Summe von tausend Thaler zu fünfftzig fünff Denier / die Werth empfangen von Herrn Amader, thuet gute Zahlung/ setzt à Comto laut advis und bleibt Gott befohlen.

MHrn
An Herrn Dienstwill:
Herrn Hilarius Simeon.
In Londen.

A Paris ce 18. Aoust 1679. pour 1000.
Lôur à 54. d. ster.

MONSIEUR.

A deux usances, il vous plaira payer par cette seconde lettre de Changes, n'ayant payê par la premier à l'ordre de Monsieur Thomas la Somme de mille écus, à cinquante cinq deniers pour valeur recûe comptant de Monsieur Amader & Mettez à compte comme par l'avis de

Monsieur *Vôtre tres-humble,*
Monsieur Hilaire, *Serviteur,*
A Londre. *Simeon.*

Quod si Litteræ Cambiales præsentatæ sint illi, in quem facta est tracta, & hic eas per scripturam acceptare nolit, Præsentans Protestationem per duos Notarios, vel per unum Notarium & duos testes, juxta præscriptum Articuli 8. Tit. 5. Edicti de Commerciis mensis Martij 1673. (q) interponit quod DD. appellant elevare protestum, qui tamen articulus quantum ad valorem & solemnitatem actus intelligendus est secundum varias observantias locorum; nam Parisiis omnes actus, ut valeant fieri debent coram duobus Notariis, & ideo non valeret Protestum per unum Notarium & duos testes elevatum, è converso Lugduni, ubi omnes actus celebrantur per unicum Notarium, in præsentia duorum 27

(q) *Les Protest ne pourront être faits que par deux Notaires ou un Notaire & deux Temoins, ou par un Huissier ou Sergent même de la Justice Consulaire, avec deux Recors & contiendront le nom & le domicile des Temoins ou Recors.* Edit. du mois de Mars 1673. Tit. 5. art. 8.

rum testium, Protestum per duos Notarios elevatnm esset contra stylum,& per consequens nullum. Parisiis pauca Protesta videmus per duos Notarios elevari, plerumque enim id fit per unum aparitorem vel Præconem & duos testes, sed Lugduni commune est ea fieri per unum Notarium & duos testes hac vere forma.

Forma Protestationis.

28 Notum sit, quod Anno Domini, &c. Titius, in præsentia mei Notarii & infra nominatorum testium, præsentaverit Cajo litteras Cambii, quæ erant tenoris sequentis, &c. (r) rogans & interpellans dictum Cajum, ut eas pro faciendâ solutione juxta earum formam, incontinenti acceptare velit, sin secus, protestans de omnibus expensis, damno & interesse, Cambio & Recambio, & quod velit & necessitetur retrahere summam in litteris expressam, juxta cursum hujus civitatis, In & contra omnes, ad quos Cambium quolibet modo spectare potest, sibique prævalere pro quâlibet plateâ & mundi parte, ubi id expediens sibi putaverit, ad quæ Cajus respondit ---, quibus auditis Titius inhæsit protestationi factæ, petens omnia diligenter notari, sibique desuper unum vel plura Instrumentum, seu Instrumenta pro condigno communicari, pro ut per præsentes obtinuit. Actum Lugduni.

En la presence du Notaire Royal soussigné, & des Temoins aprés nommez, sieur - - - à presenté à sieur - - - un lettre, de laquelle la teneur s'ensuit - - - - sommant & interpellant le dit sieur ... de la vouloir accepter presentement, pour la payer à la formé d'icelle, protestant à refus de tous depens, dommage & interêts, change & rechange, de prendre la dite somme au cours de la place de cette ville, sur & contre qui il appartiendra, & de s'en prévaloir sur telle place, qu'il avisera bon être, & ce parlant à qui à fait reponse ... dont le dit sieur persistant en les protestations à demandé acte, & à éte donné copie. Fait à Lion.

Auff untengesetztem Dato und in Gegenwart Meiner Offentlichen Notarij und zu Endt benenten Zeugen hat der Herr N. ... dem Herrn N. sicheren Wechselbrieff/ dessen Inhalt ware/ als folgt ... vorgezeigt/ und denselben/ umb solchen zu acceptiren/ und darin enthaltene Summe nach Inhalt zu bezahlen ersucht / Im wiedrigen aber/wegen aller Kösten/Schaden und Interesse, Wechsel und Wiederwechsel protestirt / gestalten er berührte Summe auff hiesiger Statt Cours anderwertig auff alle und jegliche/so daran schuld haben mögen/ziehen und sich ahn Orth und Platz/ wo es ihme am dienlichsten zu seyn düncket / erhohlen wolte; warauff/ als N. geantwortet/ daß ... hat er N. bey seiner gethaner protestation bestanden / und mich

(r) *Dans l'acte du protest les Lettres de Changes seront transscrites, avec les Ordres & les réponses s'il y en a, & la copie du tout signée sera laissée à la Partie sur peine de faux, & des dommages & interêts.* Susdit Edict. Art. 9.

mich Notarium ersucht alles fleissig zu notiren / und ihme darab eins oder mehr Instrument für die Gebühr zu ertheilen. So geschehen Lion.

Ecce aliam Formulam Protestationis quam ex Jo. Martin. Vogt *Tractatu de Cambiis Thes.7.lit. g.* transscripsimus.

In Nahmen Gottes Amen: Kund und zu wissen seye Jedermänniglichen / daß im Jahr Christi 1657. an der Zehender Römer Zinß Zahl Indictio genant / bey hersch- und Regierung deß Allerdurchleuchtigsten / Großmächtigsten und Unüberwindlichsten Fürsten und Herzen / Herzn FERDINANDI III. Erwöhlten Römischen Käysers / auch zu Hungaren und Böheim Königs / Ertz-Hertzoge zu Oesterreich / Unseres allergnädigsten Herzen / Ihrer Käyserlichen Majestät Reiche / deß Römischen im ein- und zwantzigsten Jahr / 2c.

Auff Dinstag den 17. Tag Monats Martij alten Calenders umb Mittag / vor Mir Notario publico und hernach bemelten Gezeugen persöhnlich erschienen der Ehrenvester Herz HH. Mir Notario einen zu End beygeschriebenen Wechsel-Brieff zeigend und dabey zu verstehen gebend / daß er denselben jetzund umb halb eylff Uhren von dem Käyserlichen Postmeister alhie empfangen hätte / und begehrte hierauff von Mir Notario, daß ich beneben zweyen Zeugen / mich zu dem Ehrenvesten Herzen N.N. verfügen / und ihn seinentwegen umb die acceptation besagten Wechsel-Brieffs ersuchen wolte / welches ich dan Ambts halber zu verzichten / also übernommen / und so bald zu gedachtem Herzn N. N. mit zweyen hernach bemelten Zeugen mich in seine gewöhnliche Schreibstube verfügt / in Beyseyn ihrer beyden obgedachten Wechsel-Brieff vorgezeigt und umb acceptation ihnen ersucht; Worauff er mir aber geantwortet / er habe Befelch die acceptation und Zahlung zu differiren / und mehr nicht zu zahlen / als zu Brüssel albereits bezahlt wäre / nemblich 1000. Flämisch / welche Summe er dan absolute zu bezahlen acceptirte / doch nächst Abzug deß zu Brüssel gethätigten Lagio und daß ihme zugleich prima & secunda Wechsel-Brieff zugestelt werden: derentwegen obbemelter Herz HH. protestirt hat / und protestirt hiemit / wegen mangel der völliger acceptation, wie auch von allen dorab entstandenen und noch ferners entstehende Unkosten / Schaden / Interesse, Wechsel und Wieder-Wechsel / gestalten deren allen / beneben der Haubtsummen / an Männiglichen sich haben zu erhohlen; Mich Notarium ersuchend / ich wolte ihme hierüber Instrumentum vel Instrumenta ertheilen / welches also geschehen Franckfurt am Mäyn respective in gedachten Herren N. N. und deß Herzen requirenten Behausung / in Beywesen der Erbahren A und B. als erbettenen Zeugen.

Folgt nun Copia obgedachten Wechsel-Brieffs.

Laus

Laus Deo adi den 2. Martij 1657. In Brüssel etc.

In fidem Præmissorum Ego NN. Notarius Cæsareo Public. Civisque Mœno Francofurt. ratione officii rogatus præsens protestationis Instrumentum publicum confeci, manu alienâ, meâ fide scriptum subsigillavi & subscripsi,

17 *m. pp.*

Si in litteris Cambii indorsati sunt Ordines, ij unà cum litteris Instrumento Protestationis inserendi sunt: & si factæ sint translationes & cessiones, earum fieri debet mentio.

Axioma quod ex hoc Capitulo sumitur est

AXIOMA.

Tametsi Præsentans non teneatur procurare acceptationem litterarum Cambii sine speciali Mandato, tenetur tamen præsentare tempore convenienti, si sint *tot diebus visâ litterâ* ad hoc nimirum ut currat terminus, & si in hoc moram committat obligatur pro omni damno.

CAPVT VII.

De effectu Protestationis ob denegatam acceptationem.

SVMMARIA.

1. *Protestatio ob denegatam acceptationem, si esset sine effectu, esset supervacanea.*
2. *Protestatio ob denegatam acceptationem litterarum solvendarum in loco ubi acceptare in usu non est, non habet effectum.*
3. *Protestatio ob denegatam acceptationem litterarum, in feriis aut Pagamentis solvendarum non valet facta extra ferias aut Pagamenta.*
4. *Protestatio ob denegatam acceptationem litterarum debito tempore facta non caret effectu.*
5. *Protestationis ob denegatam acceptationem rite factæ effectus pro varietate locorum variat.*
6. *Protestatio, si litteræ Cambii solvendæ sunt extra ferias & Pagamenta non potest fieri ob denegatam acceptationem, sed ob denegatam solutionem termino lapso.*
7. *Et tali casu à Trassante nihil exigi potest, quam ut idonee satisdet litteras solvendas fore in termino.*
8. *Ratio differentiæ diversorum effectuum Protestationis litterarum, in & extra ferias, seu Pagamenta solvendarum.*
9. *Removetur objectio.*

10. *Lug*

10. *Lugduni acceptationes fieri debent in conventionibus primis sex diebus pagamentorum haberi solitis sin secus sit protestatio.*

11. *Explicatio Art. 1. de Mense Junio 1667. Ordinat. Lugdunens.*

1 SUpervacaneum foret Præsentantem elevare protestum ob denegatam acceptationem, si id ipsum nullum produceret effectum: videndum itaque quando effectus iste resultet & qualis ille sit.

2 Certum est, quod protestum ob denegatam acceptationem elevatum à litteris Cambialibus in loco solvendis, ubi tamẽ acceptare in usu non est, nullius effectus sit (s) quia in potestate Protestantis non est, contra mores & observantiam loci quidquam innovare, & hoc casu protestatio ut efficiat retornum & recursum cum Cambio & recambio, aliter fieri non potest, quam ob denegatam solutionem termino lapso, nisi saltem litteræ Cambiales in se habeant conditionem expressam, ut factâ præsentatione acceptentur ad effectum solvendi in termino, uti conditionem hanc sœpius videmus insertam.

3 Certum est, quod Protestum à litteris Cambii, solvendis in feriis, aut Pagamentis elevatum extra ferias, aut pagamenta, & ante tempus per ordinationes statutum, nullius sit effectus, quia præmaturum & legi contrarium est: necesse itaque est, ut Præsentans se ordinationibus præcisè conformet, E. G. Lugduni ab aliis litteris Cambii Protestum, ob denegatam acceptationem elevari non potest, quam ab iis quæ sunt solvendæ in Pagamentis, nisi (uti dictum) aliud ordinent, & insuper à litteris in pagamento solvendis Protestum elevari nequit, nisi septimo die Pagamenti, juxta expressam dispositionem Articuli primi Ordinationis Mensis Junii 1667. alias foret intempestivum & nullum, consequenter destitutum omni effectu.

Si verò Protestum ob denegatam acceptationem elevetur à litteris solvendis in feriis, aut Pagamentis & debito tempore; & à reliquis litteris Cambii, in loco solvendis, ubi consuetudo contraria non viget, indubitatum est exinde effectum aliquem nasci. 4

Hic autem effectus non est semper idem; sed pro diversitate locorum, ubi litteræ Cambii solvendæ sunt; variat, veluti si elevetur in feriis, aut Pagamentis, sicut Lugduni, Novani, Francofurti, Bolzani, &c. Præsentans mox & eodem instanti indemnisationem quærere, id est recambium facere potest, cum omni 5

(s) Protestatio non prodest, in his quæ à potestate Protestantis non dependent. Scacc. §. 1. *quæst. 7. part. 2. Ampl. 8. n. 300. in fin.*

omni damno & interesse, quod consistit in sumptibus elevati Protestus & retorno, ut sequentibus explicabitur, & Trassans (t) non potest se eximere ab ejus solutione; adeo, ut ad hujusmodi solutionem corporali arresto constringi valeat, quod solum Ordinatio Mensis Aprilis 1667. Art. 4. Tit. 34. & Edictum Mensis Martii 1673. Art. 1. Tit. 7. statuit, sed etiam generalis omnium platearum consuetudo observat.

6 Si litteræ Cambii non sunt solvendæ in loco, ubi sunt feriæ aut Pagamenta, vel si non sunt solvendæ in Pagamentis, sed ad usum, aut alio termino non adeo brevi, Præsentans sibi præcavere, aut elevare Protestum ob denegatam acceptationem non potest, nec Trassans ad reddendum valutam, aut aliquod damnum & interesse tenetur, nisi vigore Protestus ob denegatam solutionem, termino lapso, ratio est evidens; quia aliàs Præsentans consequeretur solutionem, ante diem cessum invito Trassante, quod esse non debet.

Omne, quod tali casu à Trassante, 7
vigore Protestus ob denegatam acceptationem exigi potest, est ut satisdet, (u) litteras debito tempore fore solvendas, sique id recuset condemnari poterit ad reddendum valutam, quia protestatio ob denegatam acceptationem facit justam præsumptionem, litteras non fore solvendas in termino, eamque Trassans aliter elidere non potest, quam per idoneam satisfactionem.

Ratio autem diversorum effectuum 8
Protestationis ob denegatam acceptationem, si litteræ sint solvendæ in feriis aut Pagamentis, & si sint solvendæ aliis modis, in hoc consistit, quod priori casu terminus litterarum cesserit, quam primum acceptari debent, solvique possint, eo instanti quo feriæ aut pagamenta aperiuntur; quia tunc terminus in litteris expressus expiravit, secundo vero casu adhuc currit.

Nec est quod obmoveatur in feriis aut pagamentis executionem obtineri non posse, nisi iis finitis, & ideo recursum eousque differendum esse, du-

(t) Tenere debemus secundùm veram juris resolutionem & Doctorum veriorem sententiam, quod scribens litteras Cambii sit obligatus ad faciendum eas acceptari, & compleri, ad reddendam pecuniam. Rota Genuens. *decis.* 4. *n.* 8.

Litteræ quæ non fuerunt acceptatæ ab illis, quibus erant directæ, imo Protestatio damnorum & interesse secuta fuit ob moram, interesse currit. Rota Genuens. *decis.* 57. *nu.* 2.

Defendons à nos Cours & à tous autres Juges, de condamner aucuns de nos sujets par corp en matiere civile, si non en cas &c. de lettres de Change, quand il ÿ aura remise de Place en Place, Ordonance du May Avril 1667. Tit. 34. art. 4.

Ceux qui auront signé des lettres ou Billets de Change pourront être contraints par corps. Edit. du Mois de Mars 1673. Tit. 7. art. 1.

(u) In omnibus bonæ fidei Judiciis cum nondum dies præstandæ pecuniæ venit, si agat aliquis ad interponendam cautionem, ex justâ causâ condemnatio fit. *l. 41. ff. de Judic. l. 21. de reb. auth. Jud. l. si arbitrio. in fin. ff. qui satisd. cog.*

durantibus enim feriis aut pagamentis contingere posset, ut litteræ acceptentur & solvantur; responderi enim potest, Tempus feriarum & pagamentorum datum esse, non ad remorandum, sed ad facilitandum commercia & solutiones: ut autem quisquis id, quod in feriis, seu pagamentis debet, rite solvat, resque suas ordinet, necessarium est, ut si præsentet litteras Cambii etiam certus sit, de illarum statu, & sciat, quomodo de iis disponere valeat, nimirum ut negotiationem suam ordinatè instituere possit.

10 Et ideo est quod Ordinatio Lugdunensis de Mense Junio 1667. Art. 1. statuat, quod acceptationes litterarum Cambii fieri debeant in conventione, quæ ad hunc effectum semper est primo die pagamenti, & durat usque ad sextum inclusivè, post quem in præsentantium potestate est, elevare protestum ob denegatam acceptationem, & retrahere summam, unà cum Expensis retorni.

11 Articulus iste permittit *Primo* Protestum elevare post sextum diem, *Secundo* vi talis protestus remittere litteras Cambii & trahere summam unà cum expensis retorni, & quia loquitur tantum de litteris solvendis in pagamento reliquis applicari non poterit.

Hoc Capitulum tria habet Axiomata.

AXIOMATA.

1. Protestum ob denegatam acceptationem præmaturè levatum nullum producit effectum.

2. Protestum ob denegatam acceptationem debite elevatum in feriis, aut pagamentis, causat retornum, absque quod necesse sit expectare finem feriarum aut pagamenti.

3. Protestum ob denegatam solutionem elevatum in loco, ubi litteræ acceptantur, sive de consuetudine, sive de mandato litterarum, expedit ad obligandum Trassantem, ad reddendum valutam, vel satisdandum, litteras in termino fore solvendas.

CAPUT VIII.

De Acceptatione Litterarum Cambii.

SUMMARIA.

1. *Per acceptationem acceptans fit debitor principalis & Trassans manet tantum fidejussor in solidum pro solutione.*
2. *Sed hoc non semper est in commodum præsentantis, duobus enim casibus non accipit solutionem.*
3. *Primus casus quando Acceptans est creditor remittentis, quia tunc acceptat litteras ad solvendũ sibimet ipsi.*

4. *Quod licet observantia ita obtineat & præjudiciis confirmetur, primo tamen intuitu videtur iniquum.*
5. *Cambium perficitur tantum inter Trassantem & Remittentem.*
6. *Præsentans consideratur vel ut Procurator remittentis, vel ut proprietarius litterarum Cambii.*
7. *Contra Procuratorem eædem exceptiones obtinent quæ Principali obmoveri possunt.*
8. *Non potest aliquis melioris conditionis esse, quam suus author.*
9. *Compensatio litterarum Cambii cum debito remittentis habet locum, etiamsi Præsentans allegaret se dedisse valutam.*
10. *Et amplius etiamsi probaret se remisisse pecuniam, tali enim casu haberet actionem contra Remittentem.*
11. *Explicatio Articuli 2. Tit. 5. Edicti de commerciis.*
12. *An & quatenus si acceptatæ sint litteræ ad solvendum sibimet ipsi, Præsentans habeat actionem contra acceptantem.*
13. *An Præsentans acceptantem cogere possit ad justificandum creditum vel in ejus defectum ad acceptandum simpliciter & pure.*
14. *Quale creditum cum Cambio compensari possit.*
15. *Quid sit liquidum.*
16. *Quomodo probetur liquidum.*
17. *Quod ex die debetur non est liquidum.*
18. *Secundus casus quando creditor Remittentis facit arrestari Cambium.*
19. *Extra hos casus fit acceptatio semper in commodum Præsentantis; sed variis modis.*

PEr acceptationem is, in quem directæ sunt litteræ Cambii, constituitur debitor principalis, Trassansque manet tantum fidejussor in solidum pro solutione: 1

Sed acceptatio non semper est in commodum Præsentantis: nam sunt duo casus, quibus solutionem nullam consequitur, & protestatio nullum ei tribuit regressum contra Trassantem. 2

Primus casus est, quando acceptans est creditor ejus, qui dedit valutam; tunc enim poterit acceptare litteras Cambii, & solvere sibimet ipsi, cum æquum sit, quod quis sibi de satisfactione ante prospiciat, quam solvat pro debitore suo, vel ei qui à debitore suo jus habet, (x) & tunc compensat id, quod sibi debetur, cum litteris Cambii, quæ compensatio vera solutio est, dummodo id quod ei debetur, compensationem patiatur. 3

Hoc, quantumvis de usu & observantia generali in Italiâ, Lugduni & alibi ita obtineat, in ratione & æquitate fundetur, & præjudiciis, Arrestis, rebusque judicatis confirmetur; nihilominus tamen iis qui quæstionem hanc, tractari nunc primum audiunt, primo intuitu difficile est hujusmodi acceptationis Justitiam capere; sed quia 4

(x) Ideo compensatio necessaria est, quia interest nostrâ, potius non solvere, quàm solutum repetere. *l. 3. ff. de compens.* qui enim compensat solvit. Rot. Genuens. *decis. 26. n. 32. decis. 214. n. 5.*

quia veris principiis maxime conformis est, lubet ejus evidentiam aliquanto latius demonstrare, omnemque dubitandi ansam tollere.

5 Certum est, ut ostendimus Cap. 4. Contractum Cambialem perfici inter Trassantem, & eum qui dat valutam, seu Remittentem; nam Præsentans; Acceptans, quia sunt absentes & in aliis locis conventioni consensum non accommodant; & per consequens
6 partes principales aliæ non sunt, quam Trassans & Remittens; Præsentans enim aliter considerari nequit, quam vel ut adjectus ad recipiendum solutionem, & Procurator illius, (y) qui dat valutam, vel ut Proprietarius litterarum Cambii.

Si consideretur primo modo, nem-
7 pe tanquam Procurator (z) Remittentis nemo dubitat, quin acceptans eandem exceptionem compensationis ei opponere valeat, quam posset obmovere Remittenti, certum autem est, Acceptantem, si creditor sit (a) Remittentis, compensationem jure prætendere; Ergo, &c.

Si consideretur secundo modo, sci-
8 licet ut Proprietarius litterarum Cambii, non est talis, nisi mediate & vi cessionis factæ, per eum, qui dedit valutam, sine qua litteræ Cambii non fuissent scriptæ, sed Juris regula est, non posse aliquem esse melioris conditionis (b) quam suus author fuit, per consequens, si Remittens non possit impedire compensationem, neque id poterit Præsentans, qui aliud jus non habet, quam quod ab illo accepit.

Et si Præsentans allegaret, valutam 9
ex sua pecunia solutam esse, per hoc tamen non posset compensationem impedire, nisi de eo specialis mentio fieret in litteris Cambii, quia litteræ Cambiales ad alium pertinere non possunt, quam ad eum de quo declaratur valuta provenire.

10. Et amplius, si Præsentans pro- 10
baret se remisisse suam pecuniam & mandasse Remittenti, ut acciperet litteras Cambii, per hoc tamen non consequeretur aliam actionem quam contra Remittentem, tanquam suum mandatarium, cujus fidem probavit: nullo autem modo impedire posset compensationem litterarum, quæ aliter non possunt spectare ad eum, quam mediante illo, qui dedit valutam.

Dubitandum igitur non est, quin Acceptans, si verus creditor existat remittentis, non possit acceptare ad solvendum sibimet ipsi per compensationem.

(y) Dum solvitur adjecto dicitur solvi creditori, quia reputatur procurator creditoris. Scacc. §. 2. *gloss. 7. n. 38.*

(z) Negotium præsumitur pertinere principaliter ad eum, qui numerat pecuniam, quia præsumitur pecunia sua, & appositus solutioni videtur adjectus, tanquam simplex Procurator. §. 2. *gloss. 7. n. 68.*

(a) Si constat pecuniam invicem deberi, ipso Jure pro soluto compensationem haberi oportet. *l. 4. C. de compens.*

(b) *L. 375. §. 1. ff. de R. J.*

11 Porrò, licet opinentur aliqui, quod quia Art. 2. Tit. 5. Edicti de Commerciis abrogavit generaliter omnes acceptationes conditionatas (ex quo statuat litteras Cambii acceptari debere pure & simpliciter, & postquam abrogavit modum acceptandi per verba, *Visa absque quod acceptentur*, vel *acceptatur ad respondendum suo tempore*, concludit his verbis (& *omnes alias acceptationes sub conditione*) abrogaverit etiam per hæc ultima verba acceptationem ad solvendum sibimet ipsi, tanquam conditionatam, ita ut post publicatum illud edictum non possit amplius practicari, attamen isto articulo bene perpenso nihil in eo est, quod impedit compensationem.

Si enim singula ejus verba examinentur (*abrogamus consuetudinem eas acceptandi verbaliter per verba*: Visa absque quod acceptetur *vel* acceptata ad respondendum suo tempore) apparebit quod conclusio ista (*& omnes alias acceptationes sub conditione*) totâ suâ extensione determinet id in quo consistit abrogatio, nempe in acceptationibus quæ fiunt in terminis obligationem ad tempus futurum suspendentibus (c) & quod intentio Regis non sit, Acceptantem absolutè non posse aliã acceptationem facere, quam puram & simplicem, vel quod acceptando conditionate nihil agat; quia dicit *quod habendæ sint pro denegatione, & possit super litteris elevari Protestum, non attentis talibus acceptationibus suspensivis & conditionalibus.* Unde negari non potest, Acceptanti liberum esse acceptationi suæ conditionem quam vult adjungere, dummodo pati velit quod elevetur Protestum, quo conditio apposita transit in denegationem.

Jam, supposito acceptationes ad solvendum sibimet ipsi contineri sub dispositione Artic. 7. Tit. 5. Edicti de Commerc. (licet in effectu haberi debeant pro acceptationibus puris & simplicibus, quia Acceptans se per illas Remittenti obligat in continenti, sine ulla suspensione (d) ad tempus futurum, & Remittenti litterarum Cambii proprietario, statim totum illud obvenit, quod in litteris continetur, qui est effectus Acceptationis puræ & simplicis, cum è converso natura conditionalis sit obligationem ad tempus futurum suspendere) & esse abrogatas, major tamen pœna non erit, quam quod reputandæ forent pro denegationibus & elevetur Protestum ad requisitionem Præsentantis: sed quid præterea? Effectus hujusmodi protestus est, quod Præsentans, si est Proprietarius litterarum Cambii, sumat regressum contra suos authores, us-

(c) Itaque tunc potestatem conditionis obtinet, cum in futurum confertur. *l. 39. ff. de reb. credit.*

(d) Nam conditionis propria & præcipua potestas est suspendere, differre, morari, hanc potestatem non habet conditio quæ refertur ad præsens, vel præteritum tempus, ergo non est propriè conditio. Cujat. *ad l. 37. & 39. ff. de Reb. cred. in lib. 1. defin.* Papin. *edit. 1658. tom. 4. colum. 624.*

usque ad datorem valutæ, & eos, qui qualificatæ hujusmodi acceptationis sunt causa; si verò non est Proprietarius remittit litteras ad suos authores, absque quod ratione ulterioris sequelæ sollicitus sit; ad sumendum enim regressum contra Trassantem qualitas Acceptationis ad solvendum sibimet ipsi nihil quidquam Juris tribuit, eo quod non ex Trassantis sed Remittentis facto ista qualitas proveniat, Juris autem sit ex alterius culpa vel dolo neminem pœnam pati, (e) dolumque ei dumtaxat nocere, qui eum admisit, qualis in hypothesi est Remittens, Trassans verò debito suo plene satisfecit, & in totū liberatus est eo ipso, quod litteræ Cambii sint acceptatæ & solutæ in commodum ejus cum quo contraxit, qui est Remittens pro ut acceptatæ & solutæ sunt per acceptationem ad solvendum sibimet ipsi in compensationem debiti (g) factam.

Et Præsentans tanto minus agere potest contra Trassantem, quod non possit habere plus Juris quam habet suus Author, nempe Remittens; sicut ostensum est. Jam si Remittens regredi vellet ad Trassantē, ille hoc solo se tueri posset si objiceret, tuâ culpâ hæc acciderunt, & de proprio facto cavere debes.

12 Quod si igitur Præsentans in vim protestus conformiter Artic. 2. Tit. 5. Edict. de Commerciis non habeat regressum contra Trassantem, non obstante quod Acceptans acceptaverit ad solvendum sibimet ipsi (uti probatum est) videndum est, an saltem quid intentare possit contra ipsum Acceptantem? Verbis Articuli supra exacte discussis, tota pœna acceptationum abrogatarum consistit in eo, quod reputandæ sint pro denegatione, & quod possit elevari protestum à litteris, quia autem nullum verbum reperitur, quo Præsentanti datur actio contra Acceptantem ad solvendum sibimet ipsi, evidens est eum omni actione destitutum esse, Leges enim statutariæ stricti Juris sunt, & Extensionem extra terminos non admittunt: & sane si intentio Regis fuisset Acceptantem per hujusmodi acceptationem Præsentanti obligare, id sane Articulus iste claris verbis exprimeret, quo casu converterentur omnes acceptationes conditionatæ, in simplices & puras, quod foret iniquissimum & cogeret Acceptantem, qui est Remittentis creditor agere Ministrum & Executorem doli quem debitor contra ipsum intendit, impunè negotiando cum summâ quam bona fides exigit in ejus solutionem impendi. Quod intentioni Regis adeo contrariatur, ut etiam Art. 25. ejusdem Tit. confirmet creditorum qui sunt Acceptantes Jus compensandi cum proprietariis litterarum Cambii, uti sunt Remittentes.

Sed nunquid poterit saltem Præsentans obtinere, ut talis Acceptans debitum juxta requisita compensationis 13

(e) *Gloss. in l. meminerint. litt. N. C. Unde vi l. 9. ff. quæ in fraud. l. 2. C. de acquir. vel retin. possess.*

(f) Ipso Jure pro soluto compensationem habere oportet. *l. 4. C. de empt.*

nis justificet, & sin secus acceptationem conditionatam, reddat puram & simplicem.

Si Præsentans in litteris Cambii interesse proprium non habeat, hujusmodi justificationem, sine mandato speciali Remittentis exigere non potest, quia Interesse cessante, sine actione ageret; imo posset dici agere nomine Remittentis, qui est verus Proprietarius litterarum Cambii, ad quod in Gallia non admittitur quia ibidem extra Regem, nemo per procuratorem postulat.

Si esset Proprietarius litterarum Cambii, hocque probaret, posset quidem Acceptantem ad justificandum astringere, verum ut id ritè fiat, requireretur præsentia Remittentis, qui est verus vel saltem præsumptus debitor, is itaque tanquam author & cavens ad præsentantis instantiam ad causam citandus esset.

14 Quia Tritum est, quod liquidum cum illiquido compensationem non admittat, examinandum nunc est quodnam creditum dicatur liquidum & ad compensandum habile?

15 Ad tollendam æquivocationem eorum, qui sibi persuasum habent creditum non esse liquidum, nisi habeat paratam executionem, sicut sententia, Instrumenta guarentigiata & litteræ Cambiales, sive acceptatæ sint, sive ab iis elevatum protestum, sciendum est, creditum esse liquidum, cujus quantitas certa est, quia liquidum nihil aliud significat quam certitudinem summæ, liquidum enim & certum, sunt synonima, ut constat ex *l.4. C. de sentent. qua sine cert. quantit. profer.* (g) & per ordinationem Mensis April. 1667. Tit. 26. Art. 6. ubi statuitur quod omnes sententiæ, Judicata & Arresta quæ condemnant ad interesse vel restantias, continere debeant liquidum, seu calculum, hoc est dicere summas certas; & Tit. 30. totus in eo est ut quantitas, & pretium frumentorum per liquidationem reddantur certa, uti etiam Tit. 32. ratione damni & interesse.

Porro Creditum propterea non desinit esse liquidum quod summa actu non sit certa (h) dummodo in continenti sit liquidabilis.

Et quod ad hoc ut creditum dicatur liquidum requiratur tantum, ut sit in continenti liquidabile, (i) absque quod habeat paratam executionem, vel exinde patet, quod etiam debitum naturale & actio, seu id, super quo lis

(g) Hac sententiâ, *qua bona accepisti solve:* cum incertum esset quid accepisset: quantumque ab eo peteretur, præsertim cum ipse qui extraordinariè judicabat, interlocutus sit dotem datam, quæ repetebatur, non liquidam esse, Judicati authoritate non nititur *l. 4. C. de sent. qua sine cert. quant. prof.*

(h) Pro liquido tamen habendum quod in promptu liquidari potest. *Cod. Fab. de comp. defin. 1. num. 2.*

(i) Etiam quod natura debetur venit in compensationem *l. 6. ff. de compens.* In compensationem etiam id deducitur quo nomine cum actore lis contestata est, ne diligentior quisque deterioris conditionis habeatur, si ei compensatio denegetur. *l. 8. ff. de compens.*

lis conteſtata eſt, in compenſationem veniant.

Cujuscunque igitur rei creditum ſit, dummodo ejus quantitas certa ſit, poteſt & compenſari, & probari, ſive per Juramentum (k) debitoris, ſive per confeſſionem, ſive per Inſtrumenta aut alias legitimas probationum ſpecies. *

Veruntamen ſi creditum ſit ex die, & dies necdum venerit (l) compenſatio nequaquam admittitur, quia vulgatum eſt, non deberi, quod non pure, ſed ex die debetur.

Siquidem igitur is, in quem directæ ſunt litteræ Cambii, ſit creditor ſummæ certæ vel quæ in continenti poteſt certa fieri, & ſit creditum purum, præſuppoſitâ probatione, nihil impedit, quo minus poſſit acceptare litteras Cambii ad ſolvendum ſibimet ipſi, per viam compenſationis & Præſentans non poteſt habere regreſſum, niſi contra Remittentem.

18 *Secundus caſus* quo licet litteræ Cambii ſint acceptatæ, Præſentans tamen non conſequitur ſolutionem: Eſt ſi aliquis creditor Remittentis fecerit authoritate Judicis arreſtari & prohiberi id, quod præſentanti debetur & eſt penes illum in quem facta eſt tracta ante acceptationem litterarum Cambii, quia tunc non poteſt aliter acceptare quam ad ſolvendum juxta id quod Judex ordinabit; & ſi cauſa arreſti juſta ſit, Præſentans ejus effectum impedire nequit, per rationes ſupra in materia compenſationis adductas. Indubitatum namque eſt Remittentem eſſe verum Proprietarium Litterarum Cambii uſque ad acceptationem, qui in præſentantem plus Juris transferre potuit, quam ipſe habebat, (m) cum ergo ipſe arreſtum impedire non poſſit, non poterit etiam Præſentans.

Extra binos hoſce caſus acceptatio fit ſemper ad ſolvendum Præſentanti, vel pure & ſimpliciter, ad deſiderium Litterarum, vel ſub diverſis conditionibus, tum quoad tempus, tum quoad ſummam; nam Acceptanti ſemper liberum eſt quamcunque conditionem adjicere, quâ vel prolongatur terminus ſolvendi, vel minuitur ſumma, tum etiam quoad modum ſolvendi, ſcilicet pure & ſimpliciter, vel ſuper proteſtu, pro honore Traſſantis, Remittentis, vel cujusdam indorſantis, uti in ſequentibus dicetur, verum omnibus iſtis caſibus, quibus acceptatio non eſt pura & ſimplex ad deſiderium Litterarum, ſine conditione reſpectu termini, ſummæ & formæ ſolutionis, Præſentans ſemper debet proteſtari, ad hoc ut Traſſans, vel

(k) Jus Jurandum ſpeciem tranſactionis continet, majoremque authoritatem habet quam res Judicata. *l. 2. ff. de Jus jur.* confeſſus pro judicato eſt, qui quodammodo ſua ſententia damnatur. *l. 1. ff. de confeſs.*

* De ſolutione Cambii per compenſationem vide quoque Scacc. *§. 2. gloſs. 5. n. 432.* Raph. de Turri. *diſp. 2. quæſt. 21.*

(l) Quod in diem debetur non compenſabitur antequam dies venit quanquam dari oporteat. *l. 7. ff. de compenſat.*

vel is, ad cujus computum Litteræ factæ sunt, obligetur ad reparationem damni per adjectionem conditionum passi, ipse tamen regressum habet contra acceptantem, casu quo conditiones istæ injustè appositæ fuerunt.

Ex hoc capite colliguntur tria axiomata.

AXIOMATA.

1. Si Acceptans est creditor Remittentis, potest acceptare litteras Cambii ad solvendum sibimet ipsi, dummodo creditum sit justum, liquidum & purum, vel purificandum in termino solvendi litteras Cambii, hoc est; ut sit creditum compensabile.

2. Creditum dicitur liquidum, si quantitas ejus sit certa.

3. Si elevetur Protestum à litteris Cambii propter factum Remittentis, Trassans ad nihil tenetur.

CAPUT IX.

De Acceptationibus super Protestu, & super Protestu ut referatur ad Computum vulgò S. P. & S. P. C.

SUMMARIA.

1. *Acceptans quandoque plane non vult acceptare, quandoque alio modo acceptare & solvere litteras Cambii, quam in iis mandatum est.*
2. *Causa, quare plane non vult acceptare.*
3. *Causa, quare alio modo vult acceptare.*
4. *Declaratur Exemplo.*
5. *Ratio introductæ acceptationis super protestu & à quibus rectè fiant.*
6. *Forma si is, in quem dirigitur tracta, acceptet super protestu.*
7. *Forma si Præsentans acceptet super protestu.*
8. *Forma si Tertius acceptet super protestu.*
9. *Explicatio Art. 5. Tit. 5. Edicti de Commerciis.*
10. *Modus scribendi breviter acceptationem super protestu.*
11. 12. *Obligationes quas & contra quos Acceptans super protestu acquirat & ad quid teneatur.*
13. *Quando fiat aceptatio super protestu ut referatur ad Computum, & quomodo talis acceptatio scribatur.*
14. *Quando fiat acceptatio per formulam* libere vel sub protestu.
15. *Quis in concursu ad acceptandum præferatur.*
16. *Non permittitur solvere litteras pro honore alicujus, qui id prohibuit.*
17. *Non possunt acceptari litteræ, si de fallimento Trassantis constet.*

Sæpe

1 SOepe contingit, quod is cui facta est tracta, litteras Cambii vel plane nolit acceptare & solvere, vel nolit acceptare ad solvendum juxta mandatum in litteris expressum.

2 Tunc plane non vult acceptare, quando non habet effectus ab eo ad cujus computum facta est tracta, & ei non intendit credere, vel si habeat effectus, aut intendit quidem credere, non tamen acceperit ab eo mandatum & Trassanti non habeat fidem.

3 Non vult acceptare ad solvendum juxta mandatum in litteris expressum, si nihil habeat ab eo, ad cujus computum tracta est facta, h.e. vel quia non habet ab eo effectus, vel quia non vult ei credere, crederet tamen ipsi Trassanti.

4 Pro clariore dilucidatione harum propositionum, ponamus exemplum; Quidam Lugdunensis trasfavit litteras Cambii in aliquem morantem Parisiis, de ordine & pro computu Mercatoris Burdegalensis, Parisiensis iste non habet mandatum à Burdegalensi, vel si habeat, non tamen habet effectus ab ipso, & non intendit ei credere, hæc est ratio protestandi litteras Cambii simpliciter, quod vergeret in magnum præjudicium Trassantis, Remittentis & indorsantium, tam ratione famæ quam ratione damni & interesse.

5 Ad avertenda igitur hujusmodi præjudicia, introductæ sunt Acceptationes super protestu, quæ fieri possunt ab omnibus, sive sit is in quem facta est tracta, sive Præsentans, sive etiam tertius nullum interesse inde habens.

Forma autem ita acceptandi est, 6
Primò, quod Protestationi inseratur clausula in hunc ferme modum: nempe si acceptet is, in quem facta est tracta inseritur, *Qui respondit se ob defectum provisionis, vel ordinis ejus, pro cujus computu tactæ litteræ Cambii sunt tractæ, non posse eas purè & simpliciter acceptare, sed quod acceptet super Protestu, pro honore Trassantis, vel Remittentis, vel indorsantis &c. Secundò*, quod litteris Cambii inscribat, *Acceptatæ super Protestu 14. Junii Anno 1679.*

Si Præsentans acceptet super Protestu, in Instrumento, post formam ordinariam ponitur: *& dictus N. acceptavit prætactas litteras super protestu, ad eas sibi solvendas, pro honore Trassantis, vel Remittentis vel Indorsantis, &c.* 7

Si sit tertius, post omnes Clausulas protestationis ponitur: *Et N.N. comparendo declaravit, quod pro honore N.N. Trassantis, vel Remittentis, vel etiam Indorsantis litterarum Cambii eas acceptet super protestu.* 8

Hic est stylus generalis ubique observatus, nec credendum est, quod Articulus 5. Tit. 5. Edicti de commerciis de Mense 1673. in eo quidquam immutaverit, & ei, in quem facta est tracta ademerit, facultatem acceptandi super protestu, per hoc quod dicit; *In casum protestationis litterarum Cambii, eæ acceptari poterunt à quovis alio quam in quem tractæ sunt*, hoc namque intelligendum est, si ismet ipse non acceptet super protestu, est 9

enim generalis regula commerciorum, quod is, in quem tractæ sunt litteræ, possit eas solvere super protestu, & Trassantem obligatum retinere, absque quod se astringat ordini in spacchiis contenti. (m)

10 Et quia Mercatores amantes sunt brevitatis solent scribere acceptatæ, S.P. significantes per has litteras initiales S. super & P. protestu.

11 Is qui solvit litteras super protestu, utiliter gerit negotium eorum, qui pro Cambio sunt obligati, & acquirit actionem non tantum contra eum pro cujus honore solvit (n) sed etiam contra omnes, qui huic obligantur, sive quod valutam ab ipso acceperint, sive quod indorsaverint, casu quo, solutæ fuerint pro honore ejus qui ordinem novissimum inscripsit; quod tamen intelligendum est, quod contra eos agere possit tanquam fidejussores ad indemnisandum, non autem ut possit recambium facere in eos ad quemvis locum bene visum; sicut potest Præsentans, quando super litteris elevatur protestum pure: sed solvens super protestu debet quamprimum notificare ei, pro cujus honore solvit, nec potest trahere (o) in alium quam in illum ipsum; vel ob defectum occasionis trahiendi ad illum locum, debet trahere ad locum proxime distantem, cujus ratio est, quod qui aliena negotia gerit, id agere debet quàm potest utilissime, sed non gereret utiliter, si differret notificare ea, quæ geruntur, nam, si interea decoqueret is contra quem denuntiandus posset habere regressum, adimeretur ei executio, si vero tracta fieret ad locum disitum, gravaretur sumptibus & so-

(m) Recipiens litteras Cambii & mandatum de solvendo, potest non observato ordine, solvere summam honore litterarum super protestu, & retinere obligatum scribentem, à quo exigere potest, nulla factâ notitiâ de ordine non acceptato, Rota Genuens. *decis.* 23. Scacc. *§.* 2. *gloss.* 5. *n.* 338.

(n) Conclusio in jure vera est, quod quis potest solvere pro aliquo obligato, & solvendo, & per solutionem liberando eum acquirit contra eum actionem negotiorum gestorum. *l. solvendo. ff. de negot. gest.* & in terminis est stilus & consuetudo, quod unusquisque potest litteras Cambii solvere, etiam ei non directas &c. Rota Genuens. *decis.* 7. *n.* 6.

(o) Declara secundo ut solvens supra protestum, ideoque volens retinere obligatum eum, qui scripsit litteras, debeat ultra prædicta in præcedenti prima declaratione mittere debitum, id est facere solito tempore tractam ejusdem summæ, quam ipse solvit ad eundem locum in eundem qui sibi traxit &c. salvo impedimento & salvo casu, quo ordo esset aliter datus, & salvo etiam casu, quo in eo loco unde tracta processit non esset solitum cambiari, vel tunc non reperiretur, qui vellet Cambio dare &c. quod fundatur in dispositione Juris Communis: nam solvens litteras supra protestum, supponit se gerere aliter negotium illius, qui scripsit litteras, *ut dixi supra n.* 364. *&* 365. sed hoc suppositum est falsum, quando ex ista solutione in tempore non notificatâ saltem per viam reflexæ tractæ, potest ei imminere periculum, ut interim ejus debitor, quem voluit delegare, & ignorat non esse acceptatum, decoquat, ut in casu de quo Rota Gen. *decis.* 6. *& decis.* 23. vel quando facit tractam in alium locum, in quo debitori gravior esset solutio, quia his casibus non gerit utiliter negotium. Scacc. *§.* 2. *gloss.* 5. *n.* 388.

& solutio redderetur difficilior, quod Justitiæ omnino contrarium foret.

12 Non est perpetuum, quod is, qui solvit litteras Cambii super protestu, succedat in locum & Jus Præsentantis, sicut est in Art. 5. Tit. 5. Edicti de Commerciis, quia impossibile est, quod qui solvit super protestu, pro honore Trassantis, eumque ab actionibus quas Indorsantes & Remittentes contra ipsum alias ad implementum haberent, liberat, Jus & actionem aliquam contra ipsos Indorsantes &c. acquirat & Articul. iste locum habere nequit, nisi quando quis solvit pro honore ultimi Indorsantis, ex tali enim solutione nascitur actio non tantum contra ipsum, sed etiam contra omnes alios qui ei sunt obligati, vel quia indorsando dederunt præcedentes ordines, vel quod valutam solverint, vel etiam quod litteras Cambii traxerint.

13 Si is in quem litteræ Cambii ad computum tertii, pro quo recusat solvere, tractæ sunt, habeat provisionem ab ipso Trassante, cui honorem facere intendit, acceptabit, super protestu ut referat ad computum, quod per abbreviaturam inter Mercatores consuetam scribitur S. P. C. hoc est quod provisionem suam non velit quærere per recambium; sed contentus sit, solutionem ponere ad computum Trassantis.

14 Quandoque contingit, quod is in quem litteræ Cambii tractæ sunt, scribat acceptationem suam hisce terminis; *Acceptata purè vel super protestu*, quod fit duobus casibus, *Primus* est, quando litteræ in aliquem tractæ sunt ad computum tertii, qui promisit ei ante terminum solutionis mittere provisionem, unde solvat; per istam enim acceptationem declarat, quod si provisionem promissam accipiat, soluturus sit Cambium purè, sin minus, quod Trassantem velit habere obligatum; *Secundus* est, quando habet provisionem ab ipso pro cujus computu litteræ fuerunt tractæ; sed nondum accepit ejus ordinem & ob dubium an recepturus sit, acceptat formâ prædicta, ad demonstrandum, quod si ordinem recipiat, soluturus sit purè, sin minus, acceptet super protestu pro honore Trassantis.

Quandoquidem nunc acceptare litteras Cambii super protestu cuique liberum sit, & hujusmodi personæ; uti superius traditum est, in tres Classes reduci possint, nimirum 1. in eum in quem tractæ sunt litteræ, 2. Præsentantem, & 3. quemlibet Tertium, proximum est, ut videamus, quisnam eorum in concursu præferatur. 15

Et *Primò*, si quis habeat speciale mandatum ab eo, pro cujus computu tractæ sunt litteræ, is præfertur omnibus, quia in ejus pro cujus computu facta est tracta, arbitrio est, per quem velit liberari.

Secundo præfertur omnibus aliis, qui habet mandatum speciale à Trassante.

Tertiò, si is in quem tractæ sunt litteræ Cambii, eas acceptet purè, vel super protestu, præferendus est propter

ter spem, solvendi purè, idem est si acceptet, ut referat ad computum; nam parcendo sumptibus retorni, Trassantis negotium gerit utilius.

Quartò, sed si non velit acceptare aliter, quam super protestu pro honore Trassantis & Præsentans idem offerat, Præsentans est præferendus, post hunc is, in quem litteræ tractæ sunt, & post hos quævis tertia persona. (p)

Quintò, is qui vult acceptare super protestu, pro honore ejus, qui anteriorem ordinem indorsavit, præfertur iis, qui acceptare volunt super protestu, pro honore posteriorum ordinum, cujus ratio est, quod sit præferendus is, per quem magis extinguitur obligatio.

16 Licet solvens litteras Cambii super protestu, liberet eum, pro honore cujus solutionem fecit, & solvendo pro alio quis liberet debitorem, etiam invitum, permissum tamen haud est, solvere litteras Cambii super protestu, si is pro cujus honore quis solvere vult, id prohibuerit; tali enim casu solvens contra eum actionem nullam acquirit. (q)

Postquam de fallimento Trassantis constat, permissum amplius non est 17 litteras ejus (r) vel purè, vel super protestu, aut etiam super protestu pro honore ejus qui dedit valutam, vel fecit ordines, acceptare, hoc enim fieret in solum favorem Præsentantis & qui ipsi obligati sunt, in fraudem creditorum; qui revocare poterunt quidquid in eorum præjudicium factum est. (s)

Ex hoc Capite collige sex Axiomata.

AXIOMATA.

1. Quia per acceptationem super protestu negotium omnium pro litteris Cambii obligatorum utiliter geritur, hinc omnes nimirum Præsentans, is in quem facta est tracta, & quilibet tertius, id facere possunt.

2. Sol-

(p) Declara tertiò ut facultas solvendi supra protestum competat gradatim hoc ordine, *Primò* competit illi, qui vult solvere libere, quisquis ille sit, hic enim præfertur omnibus volentibus solvere suprà protestum *Secundò* competit illi qui debet Cambium recipere; *Tertiò* vero loco competit illi, cui facta est tracta. Scacc. *§. 2. gloss. 5. n. 389.*

(q) *Secundò* quisque pro alio licet invito & ignorante solvendo liberat eum, *l. 37. ff. de R. J.* Declarato quarto ut nemo possit facere solutionem super protestu honore litterarum, quando aliquis mercator habens ad hoc speciale mandatum intimasset, & protestatus esset, ne quis litteras talis tractæ solveret super protestu; nam tertius potest solvere ignorante & invito debitore, quando debitor non est præsens & non prohibet; sed si adsit & prohibeat, male iste tertius solvit, & ob id nulla ei acquiritur actio contra ipsum debitorem. Scacc. *d. loc. n. 390.*

(r) Declara quinto, ut post habitam notitiam seu publicam vocem & famam de decoctione trahentis debitum, nemo possit illam tractam acceptare nec libere, nec super protestu, Scacc. *d. loc. n. 391.*

(s) Qui vero post bona possessa debitum suum recipit; hunc in portionem vocandum, exæquandumque cæteris creditoribus: neque enim debuit præripere cæteris, post bona possessa, cum jam par conditio omnium creditorum facta sit. *l. 6. §. 7. ff. quæ in fraud. credit.*

2. Solvens litteras super protestu, habet actionem contra eum, pro cujus honore solvit, singulosque ejus authores.

3. Solvens litteras Cambii super protestu tenetur quam primum id notificare ei, pro cujus honore solvit, nec potest trahere ad alium locum quam ob defectum occasionis, quo tamen casu tenetur trahere ad locum proximiorem.

4. In concursu volentium acceptare litteras Cambii super protestu, præfertur *Primò* habens speciale mandatum ab eo, pro cujus computu litteræ tractæ sunt; *Secundò* habens mandatum à Trassante. *Tertiò* is, in quem facta est tracta, si acceptet purè, vel sub protestu, idem si acceptet ut referat ad computum. *Quartò* volens acceptare pro honore Trassantis, præfertur volentibus acceptare pro honore ordinum. *Quintò* inter plures volentes acceptare eodem modo, præfertur Præsentans & post eum cui facta est tracta. *Sextò* volens acceptare pro honore antecedentis ordinis, præfertur acceptare volenti, pro honore ordinum posteriorum.

5. Nemo potest acceptare litteras Cambii super protestu pro alicujus honore, qui hoc prohibuit.

6. Post cognitum fallimentum nemo potest vel purè vel sub protestu ut referat ad Computum alicujus acceptare litteras Cambii:

CAPUT X.

An Acceptans litteras Cambii possit pœnitere.

SUMMARIA.

1. *An Acceptans possit pœnitere ex aliqua causa.*
2. *Regula generalis est Acceptantem pœnitere non posse ex quacunque causa.*
3. *Fallit Regula unico casu si dolus acceptationi causam dedit.*
4. *Duo casus in materia acceptationis notabiles.*
5. *Error Parisiensium in præsentatione litterarum Cambii frequens; unde duo isti casus resultant.*
6. *Primus casus quo Acceptans acceptationem rasit & absolutus est à solutione.*
7. *Secundus casus quo Acceptans litteras perditas asserit & condemnatus est.*

QUia ex acceptatione oritur Obligatio solvendi litteras Cambii, hinc non inepte quæritur, an is qui eas acceptavit, ob causam aliquam possit pœnitere, sive quod fundum & provisionem promissam non acceperit, sive quod Trassans decoxerit, sive 1

quod

ter ſpem, ſolvendi purè, idem eſt ſi acceptet, ut referat ad computum; nam parcendo ſumptibus retorni, Traſſantis negotium gerit utilius.

Quartò, ſed ſi non velit acceptare aliter, quam ſuper proteſtu pro honore Traſſantis & Præſentans idem offerat, Præſentans eſt præferendus, poſt hunc is, in quem litteræ tractæ ſunt, & poſt hos quævis tertia perſona. (p)

Quintò, is qui vult acceptare ſuper proteſtu, pro honore ejus, qui anteriorem ordinem indorſavit, præfertur iis, qui acceptare volunt ſuper proteſtu, pro honore poſteriorum ordinum, cujus ratio eſt, quod ſit præferendus is, per quem magis extinguitur obligatio.

16 Licet ſolvens litteras Cambii ſuper proteſtu, liberet eum, pro honore cujus ſolutionem fecit, & ſolvendo pro alio quis liberet debitorem, etiam invitum, permiſſum tamen haud eſt, ſolvere litteras Cambii ſuper proteſtu, ſi is pro cujus honore quis ſolvere vult, id prohibuerit; tali enim caſu ſolvens contra eum actionem nullam acquirit. (q)

Poſtquam de fallimento Traſſantis 17
conſtat, permiſſum amplius non eſt litteras ejus (r) vel purè, vel ſuper proteſtu, aut etiam ſuper proteſtu pro honore ejus qui dedit valutam, vel fecit ordines, acceptare, hoc enim fieret in ſolum favorem Præſentantis & qui ipſi obligati ſunt, in fraudem creditorum; qui revocare poterunt quidquid in eorum præjudicium factum eſt. (s)

Ex hoc Capite collige ſex Axiomata.

AXIOMATA.

1. Quia per acceptationem ſuper proteſtu negotium omnium pro litteris Cambii obligatorum utiliter geritur, hinc omnes nimirum Præſentans, is in quem facta eſt tracta, & quilibet tertius, id facere poſſunt.

2. Sol-

(p) Declara tertiò ut facultas ſolvendi ſupra proteſtum competat gradatim hoc ordine, *Primò* competit illi, qui vult ſolvere libere, quisquis ille ſit, hic enim præfertur omnibus volentibus ſolvere ſuprà proteſtum *Secundò* competit illi qui debet Cambium recipere; *Tertiò* vero loco competit illi, cui facta eſt tracta. Scacc. §. *2. gloſs. 5. n. 389.*

(q) *Secundò* quiſque pro alio licet invito & ignorante ſolvendo liberat eum, *l. 37. ff. de R. J.* Declarato quarto ut nemo poſſit facere ſolutionem ſuper proteſtu honore litterarum, quando aliquis mercator habens ad hoc ſpeciale mandatum intimaſſet, & proteſtatus eſſet, ne quis litteras talis tractæ ſolveret ſuper proteſtu; nam tertius poteſt ſolvere ignorante & invito debitore, quando debitor non eſt præſens & non prohibet; ſed ſi adſit & prohibeat, male iſte tertius ſolvit, & ob id nulla ei acquiritur actio contra ipſum debitorem. Scacc. *d. loc. n. 390.*

(r) Declara quinto, ut poſt habitam notitiam ſeu publicam vocem & famam de decoctione trahentis debitum, nemo poſſit illam tractam acceptare nec libere, nec ſuper proteſtu, Scacc. *d. loc. n. 391.*

(s) Qui vero poſt bona poſſeſſa debitum ſuum recipit; hunc in portionem vocandum, exæquandumque cæteris creditoribus: neque enim debuit præripere cæteris, poſt bona poſſeſſa, cum jam par conditio omnium creditorum facta ſit. *l. 6. §. 7. ff. quæ in fraud. credit.*

2. Solvens litteras super protestu, habet actionem contra eum, pro cujus honore solvit, singulosque ejus authores.

3. Solvens litteras Cambii super protestu tenetur quam primum id notificare ei, pro cujus honore solvit, nec potest trahere ad alium locum quam ob defectum occasionis, quo tamen casu tenetur trahere ad locum proximiorem.

4. In concursu volentium acceptare litteras Cambii super protestu, præfertur *Primò* habens speciale mandatum ab eo, pro cujus computu litteræ tractæ sunt; *Secundò* habens mandatum à Traſſante. *Tertiò* is, in quem facta est tracta, si acceptet purè, vel sub protestu, idem si acceptet ut referat ad computum. *Quartò* volens acceptare pro honore Traſſantis, præfertur volentibus acceptare pro honore ordinum. *Quintò* inter plures volentes acceptare eodem modo, præfertur Præsentans & post eum cui facta est tracta. *Sextò* volens acceptare pro honore antecedentis ordinis, præfertur acceptare volenti, pro honore ordinum posteriorum.

5. Nemo potest acceptare litteras Cambii super protestu pro alicujus honore, qui hoc prohibuit.

6. Post cognitum fallimentum nemo potest vel purè vel sub protestu ut referat ad Computum alicujus acceptare litteras Cambii:

CAPUT X.

An Acceptans litteras Cambii possit pœnitere.

SUMMARIA.

1. *An Acceptans possit pœnitere ex aliqua causa.*
2. *Regula generalis est Acceptantem pœnitere non posse ex quacunque causa.*
3. *Fallit Regula unico casu si dolus acceptationi causam dedit.*
4. *Duo casus in materia acceptationis notabiles.*
5. *Error Parisiensium in præsentatione litterarum Cambii frequens; unde duo isti casus resultant.*
6. *Primus casus quo Acceptans acceptationem rasit & absolutus est à solutione.*
7. *Secundus casus quo Acceptans litteras perditas asserit & condemnatus est.*

QUia ex acceptatione oritur Obligatio solvendi litteras Cambii, hinc non inepte quæritur, an is qui eas acceptavit, ob causam aliquam possit pœnitere, sive quod fundum & provisionem promissam non acceperit, sive quod Trasſans decoxerit, sive quod 1

quod idem Trassans postea mandaverit, ne solvat.

2 Pro generali Regula tenendum est, eum qui acceptavit, pœnitere, (t) & solutionem recusare non posse, liberum quidem ei fuit, ob defectum provisionis se initio non obligare, sed postquam acceptando se obligavit, secutus est fidem Trassantis, cujus conditionem non ignoravit, vel ignorare non debuit. Nec poterit Trassans revocare mandatum solvendi, quia acceptatis litteris Cambii, res amplius non mansit integra.

3 Hæc tamen regula unico saltem casu patitur exceptionem; nempe si litteræ Cambii statim ante fallimentum tractæ, & viâ extraordinaria ad curandum acceptationem transmissæ sint, ita ut, si per postam ordinariam venissent de fallimento ante acceptationem constare potuisset; quo casu forte Acceptans per restitutionem in integrum ab obligatione liberari posset; quia dolo malo deceptus est, cui Jura succurrunt.

4 Duo casus in hac materia revocationis acceptationum occurrerunt notabiles, & digni, quibus hoc capite locus indulgeatur.

5 Parisis error transiit quodammodo in consuetudinem, quod Præsentantes, si eo tempore, quo litteras Cambii ad acceptandum præsentant, eos, in quos tractæ sunt, non reperiant domi, vel quo minus in continenti acceptent impeditos, relinquant litteras in manibus domesticorum, spe certi, quod sequenti die eas acceptatas recepturi sint, & quandoque alterum, vel tertium diem exspectant; unde prætacti duo casus resultant; nam ij quibus litteræ erant trassatæ, interea temporis, notitiam aceperant de fallimento Trassantis, & quia acceptationem litteris inscripserant, per verba (acceptatæ die N.) litteræque adhuc erant penes ipsos, tentarunt se exonerare acceptatione factâ, & quidem alius aliâ viâ.

Primus rasit acceptationem litteris 6
inscriptam, unde res ad Judicialem contentionem devenit, Præsentans prætendebat, quod postquam Acceptans, acceptationem litteris inscripsit, in ejus potestate non fuerit, eandem radere, (u) sed quod vi subscriptionis suæ obligetur, ac si rasa non esset.

Econtra Acceptans excipiebat se per acceptationem non obligari priusquam extradita esset præsentanti, (x) interea verò rem adhuc esse integram, seque propriæ signaturæ arbitrum esse, & potuisse eam radere & retractare; Causâ utrimque auditâ, Acceptans ab obligatione absolutionem obtinuuit, nec injustè; nam si alter

(t) Quæ dolo malo facta esse dicuntur, si de his rebus, alia actio non erit, & justa causa esse videbitur Judicium dabo. *l. 1. §. 1. ff. ne dolo mal.*

(u) Quod semel placuit amplius displicere non potest. *de Reg. Jur. in 6. l. 5. C. de action. & oblig. l. 33. de Reg. Jur. in 6.*

(x) Fallit hæc Regula ex causa superveniente, vel de novo ad notitiam perveniente. *Gloss. in dict. Regula.*

alter ex contrahentibus coram Notario possit subscriptionem suam radere, donec alter non subscripsit, uti indubitatum est, multo magis id poterit is, qui subscriptionem nondum extradidit; sed penes se retinuit.

7 *Secundus*, vel de rasurâ non cogitavit, vel non credidit eam pro suâ securitate sufficere, sed Præsentanti, dum litteras peteret, respondit, eas esse perditas, monendo ut secundas curaret transmitti.

Præsentans, hisce subterfugiis male contentus, Judicio cœpit, & sententiam obtinuit, Arresto confirmatam; decidendi ratio fuit, quod retentio litterarum Cambii tacite inducat acceptationem, (y) eique æquipolleat, ob eamque Acceptans ad solutionem condemnatus fuit.

Ex hoc Capite desume quatuor Axiomata.

AXIOMATA.

1. Acceptans si extradiderit Præsentanti acceptationem, non potest pœnitere, quidquid eveniat, quando Præsentans, & ejus authores sunt in bona fide.

2. Si dolus acceptationi causam dederit, Acceptans potest se eâ exonerare.

3. Donec Acceptans Acceptationem suam penes se retineat & litteras Cambii non extradiderit, potest radere acceptationem; post extraditionem verò non potest.

4. Per retentionem litterarum Cambii obligatur Acceptans eaque æquipollet acceptationi.

CAPUT XI.

An Trassans liberetur per Acceptationem litterarum Cambii.

SUMMARIA.

1. *Prima opinio Trassantem acceptatione litterarum liberari, quia per eam fit novatio.*
2. *Contraria opinio verior.*
3. *Ejus fundamenta.*
4. *Restringitur si Præsentans sit in mora exigendi vel det dilationem.*

Fallimentum seu decoctio Acceptantis propositæ quæstioni locum fecit; quia si Trassans acceptatione liberetur, decoctio cedit periculo & damno Præsentantis; si non liberetur, damnum est ipsius Trassantis.

Qui concludunt Trassantem libe- 1
rari

(y) Acceptatio fit tacite per Receptionem & Retentionem litterarum. Scacc. §. 2. gloss. 5. n. 335.

rari per acceptationem sustinent, quod Præsentans recipiendo promissionem solutionis per acceptationem ejus, ad quem facta est tracta, faciat novationem, (z) per quam prior obligatio Trassantis tollitur.

2 Sed contraria sententia, quod nimirum Trassans per acceptationem ejus, (a) cui facta est tracta, non liberetur, sed maneat obligatus usque ad actualem solutionem, prævaluit, & taliter in celebrioribus Tribunalibus judicatum est.

3 Hujus sententiæ ratio est (b) quod per acceptationem non celebretur novus contractus inter Acceptantem & Præsentantem, cui solutio fieri debet, sed quod hæc sit pars prioris contractûs litterarum Cambii, nam Præsentans acceptationem aliter non censetur recipere, quam sub conditione, si solutio sequatur, unde, cum Præsentans fidem acceptantis non sequatur absolute, recte sequitur, Trassantem, tanquam primum debitorem non liberari.

Veruntamen hoc non procedit si Præsentans negligens fuerit in exigendo, aut Acceptanti dilationem aliquam dederit; nam tali casu, Acceptantis decoctio Trassanti non noceret, de quo tamen latius in Capite de Diligentia à Præsentante adhibenda. 4

Ex hoc Capite duo habe Axiomata.

AXIOMATA.

1. Trassans Acceptatione litterarum Cambii non liberatur, sed obligatus manet donec eæ realiter solutæ sunt.

2. Si Præsentans negligens sit in exigendo vel det dilationem, Trassantis periculum cessat.

CAP. XII.

(z) Si Campsor absque delegatione promittat per hæc verba promitto tibi loco Titii, Titius erit liberatus, quia qui eligit unum bebitorem pro alio novare videtur. Scacc. §. 2. *gloss. 5. .245.*

(a) Quæro X. nunquid debitor Cambii erit liberatus eo ipso quod ille, cui mittuntur litteræ solvendæ, accepter illas litteras, Respondeo debitorem qui litteras fecit non esse liberatum &c. nisi ipsæ litteræ sint realiter solutæ &c. Scacc. *eod. n. 322. decis. 1. n. 6. 21. 38. decis. 2. decis. 4. n. 7. decis. 8. n. 17. & seq.*

(b) Ratio meo Judicio quare debitor Cambii qui scripsit litteras remaneat adhuc obligatus est: quia acceptatio illa non est novus contractus, inter ipsum acceptantem & creditorem, cui facienda est solutio, sed est pars contractus litterarum Cambii: neque creditor acquiescit acceptationi, nisi quatenus sequatur solutio de contanti; Unde cum creditor non habeat fidem de pretio litterarum acceptatarum, non liberat suum debitorem. Scacc. *d. l. n. 323.*

CAPUT XII.

An Acceptans litteras Cambii possit solvere ante diem, invito Præsentante,

SUMMARIA,

1. *Quæstio an Acceptans ante diem invito Præsentanti solvere possit à nemine hactenus tractata est.*
2. *Dalerus quomodo computatur in Gallia.*
3. *Fundamentum eorum qui opinantur Acceptantem ante terminum invito Præsentanti solvere posse.*
4. *Rationes contrariæ opinionis.*
5. *Si dies creditoris vel utriusque favore adjectus sit, debitor ante diem solvere non potest.*
6. *Resolvitur quæstio Acceptantem ante diem non posse solvere invito Præsentanti.*
7. *Explicatio* l. 38. §. 16. ff. de verb. oblig. *ex mente Cujac.*
8. *Die litterarum lapso, Præsentans tenetur acceptare solutionem oblatam.*
9. *Si Præsentans in termino litterarum non adsit vel nolit acceptare, Acceptans mediante consignatione de omni damno & interesse præcavere potest.*
10. *Forma consignationis.*
11. *Cautela in consignatione adhibenda.*

1 QUæstio hæc à nemine eorum qui de Cambiis scripserunt, hactenus tractata invenitur, & tamen tam crebræ mutationes monetæ urgentissimam eam discutiendi dederunt occasionem, quare operæ pretium esse putavimus, eam ex fundo examinare.

Antequam quæstionem aggrediamur, observandum est, quando litteræ 2
Cambii venientes à Regionibus extraneis ut solvantur in Gallia, conceptæ sunt super Daleris, vel solvendæ sint per Daleros, hujusmodi Daleros de usu generali facere tres libras, sive valor Daleri vel Ludovici argentei sit major, sicuti cum auctus esset ad tres libras & quatuor solidos, sive vero sit minor; sicuti contigit cum valeret tantum octo & quinquaginta solidis; Unde sequitur, quando Dalerus valet tribus libris & quatuor solidis, Præsentantem litteras Cambii quarum pretium consistit in Daleris non posse prætendere ut solvatur per Ludovicos argenteos, & econtra quando valet tantum 58. solidis, Acceptantem non posse satisfacere, solvendo tantum 58. solidos pro Dalero, sed semper æstimandum esse Dalerum tribus libris, nisi aliter habeatur in litteris Cambii. 3

Hoc observato ut progrediamur ad quæ-

quæstionem; qui opinantur, in Acceptantis arbitrio esse, litteras Cambii ante diem solvere, se fundant In *L.38. §.16. ff. de verbor. obligat.* ubi Ulpianus ait: *Inter incertam certamque diem discrimen esse, ex eo quoque apparet, quod certâ die promissum, vel statim dari potest: totum enim medium tempus liberum promissori relinquitur. Et qui promisit, si aliquid factum sit, vel cum aliquid factum sit, nisi cum id factum fuerit: non videbitur fecisse quod promisit.*

Ulterius se fundant in *L. 70. ff. de solut.* ubi Celsus: *Quod certâ die promissum est, vel statim dari potest; totum enim medium tempus ad solvendum promissori liberum relinqui intelligitur.*

4 Qui econtra censent, Præsentantem non posse compelli ad acceptandum solutionem ante diem, fulciuntur *l.122. princ. ff. de verb. oblig.* (c) ex qua DD. colligunt Debitorem non liberari offerendo loco vel tempore Creditori minus congruo.

Pro Resolutione controversiæ & conciliatione citatarum LL. quæ sibi invicem videntur contrariæ tenendum est cum Bartholo *ad tit. l.122.* & Ant. Fabro *Cod. lib. 8. tit.30. defin. 14.* dicentibus, quod si dies adjectus sit in favorem stipulatoris, vel utriusque, Debitorem non posse ante diem solvere, sed illum exspectare debere, ne quidquam de creditoris jure minuatur. 5

Applicando istam doctrinam ad contractum litterarum Cambii, quem in utriusque contrahentium utilitatem fieri, supra *Cap. 5.* ostensum est, omnes & singulæ conditiones temporis & loci in utriusque favorem adjiciuntur; Quare Præsentans quem Jure Remittentis uti, probatum est *Cap. 8.* non potest compelli, ut acceptet solutionem ante tempus præfixum in litteris. 6

Cujacius in Explicatione §.16. *l.38. ff. de verb. oblig.* (d) postquam ostendit §. istum compositum esse ex *l. 70. ff. de solution.* & *l. 48. ff. de condict. indeb.* subjungit, quod differentia inter 7

(c) Hujusmodi oblatio debitori non prodest, offert enim in congruo loco & tempore. Godefred. in *l. 122. ff. de verb. oblig.*

(d) Totumque desumptum est ex Celso *lib. 26. ff.* Prima pars ex *l. quod certa infra de solut.* Secunda ex *l qui promisit sup. de condict. indeb.* Ex prima parte notandum id quod certa die promissum est, ante diem dari & repræsentari *l. continuus 137. §. cum ita infra hoc tit.* atque ideo solutum non repetitur, quia certum est deberi, *l. in diem sup. de condict. indeb.* Ex secunda notandum id, quod die incerta promissum est: veluti si navis ex Asia venerit, ante diem non solvi recte, & ideo condicitur, quia debitum iri non est certum, *l. qui promisit. l. sufficit. sup. de condict. indeb.*

Pertinet igitur hæc differentia inter diem certam & incertam ad condictionem indebiti, quod si quæratur, an invito creditori ante diem solvi possit, non distinguam inter diem certam & incertam, sed dicam generaliter, invito ante diem non solvi, nec moram facere creditorem, qui ante diem oblato debito, id recusat acceptare &c. Ante diem igitur certam vel incertam non solvitur nisi volenti. Male Accursius utitur hac exceptione, nisi dies adjectus sit stipulatoris gratiâ. Cujac. in *l. 38. §. inter incertam ff. de verb. oblig.*

ter diem certam & incertam pertineat ad conditionem indebiti, non autem ad astringendum stipulatorem, ut ante diem recipiat, rejicitque exceptionem istam, nisi dies adjectus sit stipulatoris gratiâ.

8 Verum die litterarum lapso, Præsentans, licet exigere solutionem vel elevare protestum intra sex dies, qui dicuntur dies discretionis; non teneatur, tenetur tamen acceptare solutionem oblatam; sicuti enim die litterarum lapso in ejus arbitrio est exigere vel non exigere, ita quoq; penes Acceptantem stat, se per solutionem liberare quam primum adhoc compelli potest, & non tenetur exspectare dies discretionis.

9 Quod si Præsentans in termino litterarum non adsit, quod sœpe contingit, si solvendæ sint de ordine datoris valutæ, & primæ mittantur alicui, qui eas faciat acceptari, secundæ vero per manus plurium negotiando transeunt sicut *Cap. 6.* ostensum. Vel si idem Præsentans nolit recipere solutionem, his casibus acceptans poterit summam integram litteris Cambii contentam Authoritate Judicis consignare, [e] quo casu Praxis est; ut omne damnum devalvationis monetæ obveniens spectet ad Præsentantem.

10 Forma autem consignationis est, ut summa debita præsentetur Judici, qui eam Judiciali Sigillo obsignatam debitori reddit, eumque constituit depositarium.

Ubi pro cautela observandum, ut 11 saccus bene consignetur, alias si aliquo modo aperiri possit, periculum est ne consignatio declaretur nulla & frustranea; (f) sicut certis Mercatoribus Lugdunensibus aliquando contigit, qui debitores Marchionis d'Alegre summam debitam prædicto modo consignarunt quidem, sed cum cera non satis afficeret suturas saccorum, unus & alter eos dissuerunt, exemptisque nummis in rem propriam usi sunt; tandem tempore extraditionis adventante, exemptos nummos sacculis suis restituerunt; quasi nunquam exempti fuissent; verum quid actum esset, facile apparebat, sacculis Ludovicos argenteos, aliquot annis post consignationem cusos, exponentibus, quare etiam per Arrestum consignatione non obstante, ad solvendum summam cum interesse condemnati fuerunt.

Ex hoc Capite duo habeas Axiomata.

AXIOMATA.

1. Præsentans non tenetur solutionem recipere ante diem.

2. Acceptans quamprimum potest compelli ad solvendum, potest etiam Præsentantem compellere ad solutionem recipiendum, non obstante tempore, quo ei de consuetudine non imputatur mora.

(e) Obsignatione totius debitæ pecuniæ solemniter facta liberationem contingere manifestum est. *l. 9. C. de solution.*

(f) *Vid. L. 29. ff. depos.*

CAPUT XIII.

De Qualificatione ad exigendum & faciendum solutionem litterarum Cambii requisita.

SUMMARIA.

1. *Præsentans ut recipiat solutionem, & Acceptans ut per eam liberetur qualificati esse debent.*
2. *Ut Præsentans possit exigere non sufficiunt litteræ Cambii, sed etiam requiritur justus titulus.*
3. *Ad Qualificationem Præsentantis regulariter sufficit Cambium ei esse solvendum, vel vi litterarum, vel vi ordinis vel cessionis.*
4. 5. *Casus inqualificati Præsentantis & ejus decisio.*
6. *Regula quod Cambium solvendum sit illi, quem litteræ, ordines vel cessio nominant, habet exceptionem in decoctore.*
7. *Restringitur etiam in Plateis ubi aliud ordinatur.*
8. *Acceptans ut solvat, novisse debet exigentem, & cavere, ne solvat falso sub periculo novæ solutionis.*
9. *Si Præsentans ignotus sit, faciat sibi caveri vel probari personam per testes.*
10. *Noto Præsentanti & solvendo existenti sine periculo solvitur.*

1 QUalificatio non solum ex parte Præsentantis, ut solutionem exigere, sed etiam ex parte Acceptantis, ut per eam liberari possit necessaria est.

Quoad Præsentantem, non sufficit, eum habere, & præsentare litteras, sed requiritur ut etiam doceat de justo titulo, sine quo exigendi Jus nullum habet. 2

Sed Requisitum hoc pro diversitate locorum latius vel strictius observatur, Regula namque generalis est, ad qualificationem Præsentantis sufficere, quod Cambium ei solvendum esse, vel tenor ipsarum-met litterarum, vel ordo, immediate per illum cui Cambium tenore litterarum solvendum est, aut mediate per alios quorum commodum præcedentes ordines respiciunt, inscriptus, vel etiam cessio ab illo, cui Cambium sive tenore litterarum, sive vi ordinis solvendum est, facta, ostendat; nec opus est, ordines in ipsis-met litteris acceptatis reperiri, sed sæpe contingit, quod si acceptentur primæ, ordines, inscribantur secundis, & vice versâ, cum utræque ad unum & eundem effectum datæ sint. 3

Ratio autem quare Cambium solvendum sit illi, qui litteras vel vi tenoris earundem, vel vi ordinis, vel vi ces-

cessionis habet, hæc est quod is, qui dedit valutam sit verus Cambii Dominus, qui cum substituerit alium, cui loco sui solvatur, nemo alius poterit solutionem exigere, sine voluntate ipsius, vel ab ipso jus habentis. (g)

Pro majori præmissorum claritate, non erit incongruum, casum ad hanc Thesin valde notabilem enarrare.

4 Jacobus Vas Hamburgensis, alias dictus Simon Martini trahit An. 1677. 30. Octob. In Philippum Martini Parisiensem litteras Cambii de ter mille libris, ad quatuor & dimidium usum, de ordine Bernardi Guisii Mercatoris Hamburgensis solvendas, ergâ valutam ab ipso receptam; hæ litteræ ab Emanuele Martini mittuntur Pariseos ad Henricum Barcholdum, qui faceat eas acceptari, pro ut etiam acceptantur, & acceptatæ remittuntur ad Bernardum Guisium, de cujus ordine solvendas esse tenor ostendit; Hic cum valutam non dederat, nec quidquam ex litteris istis prætenderet, eas iterum ad Barcholdum remittit, qui easdem denuo recipiens, seque Emanuelis Martini per quem primâ vice transmissæ fuerant, creditorem esse prætendens, statuit solutionem exigere, eoque fine facit litteris ignotâ manu in favorem sui indorsari ordinem sub nomine Barcholdi, ad quem litteræ videbantur pertinere; convenitque Philippum Martini coram Judicio consulari ad solvendum litteras acceptatas.

Philippus Martini de totâ rei serie informatus, probeque sciens se Jacobo Vas nihil quidquam debere; Insuperque advertens litteras Cambii in se captiose esse tractas. Excipit ordinem esse falsum, nec manu Bernardi Guisii indossatum, eundem Guisium non dedisse valutam, nec quidquam vigore litterarum petere, & per consequens eas ad Trassantem pertinere & esse cassas & inutiles; verum hisce exceptionibus non attentis condemnabatur ad solvendum, per sententiam Consulum Pariensium, 23. Martij 1678. publicatam, â quâ appellavit.

In Judicio Appellationis producitur ex parte Barcholdi consensus seu ratificatio Bernardi Guisii, & duæ declarationes, altera Trassantis, quod scilicet Emanuel Martini, dederit valutam, altera vero ipsiusmet Emanuelis Martini, quâ hoc ipsum corroborat, & hisce Instrumentis confisus, non negat se fecisse indossari ordinem per manum ignotam sustinens nihil obstare quo minus hoc per quemcunque obvium Bernardi nomine sibi licuerit facere; nec deerant magnæ fidei Mercatores qui ipsi adstipulabantur.

Vernm major & sanior pars Mercatorum contrarium sentiebant, quod nempe opinio ista, posse aliquem alterius nomen subscribere sit omnino reiici- 5

(g) Quod autem alicui debetur, alius sine voluntate ejus non potest exigere. *L. 39. ff. de negot. gest.*

jicienda, (h) cum id foret falsitates in commerciis admittere, & omnem securitatem evertere; quod litteræ Cambii, quæ non reperiuntur indossatæ per illum, cujus utilitati tractæ sunt, de stylo mercantili non possint alteri solvi, & si is cujus utilitatem litteræ respiciunt solutionem recipere, aut indossare nolit, eo quod Trassanti valutam non dederit, litteræ pereant, & evanescant; quod per consensum & ratificationem Bernardi Guisii nihil Juris quod ipsemet juxta propriam confessionem non habebat, acquiri; nec ordo ab initio falsus verificari potuerit, (i) quod declaratio Trassantis declarationi in litteris Cambii per eundem factæ, contraria ac proinde mala fide data, declaratio vero Emanuelis Martini, tanquam testimonium in propriâ causâ; nullatenus consideranda sit.

Quibus rationibus perpensis in prima consultatione ad relationem D. Amproussij Arrestum 18. Julii 1679. in favorem Philippi Martini publicatum est, sententiæ DD. Consulum reformatorium.

6 Regula superius posita, litteras Cambii solvendas esse juxta tenorem, ordinem, vel cessionem, aut mandatum exigendi illius cui solutio competit, unam patitur exceptionem, nempe si is, cui litteræ solvendæ sunt decoxerit, quo casu creditores, vel ille, pro cujus computu facta est remissa, Authoritate Judicis obtinere possunt, ut sibi solvatur.

Patitur insuper restrictionem in plateis quibusdam particularibus, sicuti Venetiis, Florentiæ, Novani, Bolsani, ubi per ordinationes vim legis habentes inhibitum est, litteras Cambii solvere in vim ordinis, sed solvendæ sunt directe iis, quos illarum tenor nominat: nisi saltem ostendatur mandatum exigendi ab illis, præscriptâ formâ conceptum, sine quo neque solutio exigi, neque protestum valide elevari potest, cum nullus hic defectus Trassantis aut Acceptantis interveniat, sed solum impedimentum legis statutariæ loci, ubi litteræ Cambiales solvendæ sunt, quà Præsentantem teneri indisputabile est, porro earundem platearum Ordinationes inhibent Notariis aliisque personis Judicialibus, ne quodcunque protestum elevent super litteris Cambii, quæ solvendæ non sunt juxta tenorem, vel vi mandati præscriptâ formâ concepti; Quamobrem oportet, ut qui recipiunt litteras Cambii se ad evitandas hujusmodi difficultates, bene informent super legibus & stylo platearum, ad quas litteræ diriguntur. 7

Quæ hactenus dicta sunt, concernunt qualificationem exigentis; Addenda saltem est una conditio ad liberationem solventis requisita: nempe ut 8

(h) Quid sit falsum quæritur, & videtur id esse si quis alienum Chirographum imitetur. *23. ff. ad L. Cornel. de fals.*

(i) Ex initio falsi commissi justa possessio non paratur. *l. 18. C. ad L. Cornel. de fals.*

ut probe sciat litteras Cambii exigenti vere (k) esse solvendas, vel directe, vel vi ordinis, & ordinem esse justum: nam ad ordinem falsum vel ei qui nomen in ordine mentionatum falso sibi affingit, male solvitur, & solvens vero Præsentanti denuo solvere tenetur, prout pluribus Arrestis judicatum fuit.

9 Hinc si litteræ Cambii ad solvendum præsententur per ignotos, consultum est Acceptanti, ut eos astringat ad Cautionem, vel saltem ad probandum personam & qualificationem suam per testes fide dignos.

10 Si solutio fiat noto & qui est solvendo, nihil periculi metuendum est, per tales enim de veritate litterarum & ordinum satis constat, sed cum ignotis necesse est cautè procedere.

Ex hoc Capite habe quatuor Axiomata.

AXIOMATA.

1. Ad hoc, ut litteræ Cambii exigi possint, requiritur, ut ei qui exigit solvendæ sint, vel tenore litterarum, vel vi ordinis, vel vi cessionis ab illo, cui Jus ex iisdem competit; vel ut habeat mandatum exigendi.

2. Si is, cui litteræ Cambii solvendæ sunt decoxerit, creditores, vel pro cujus computu remissa facta est, authoritate judicis exigere possunt.

3. Solvens litteras Cambii, novisse debet cui solvit, alias periculum solutionis spectat ad illum.

4. Qui recipit solutionem, cavet litteras & ordines esse justas, salvo regressu contra suos authores.

CAPUT XIV.

De Diligentiâ, si litteræ Cambii non solvantur in termino, à Præsentante adhibendâ.

SUMMARIA.

1. *Præsentans in exigendo non debet moram committere alias si Acceptans fiat non solvendo, damnum ejus est.*
2. *Si solutio suâ die non fiat debet elevare protestum juxta stylum loci in quo solvendæ sunt litteræ.*
3. *Forma Protestus civitatis Lugdunensis.*
4. *Stylus protestandi pro diversitate platearum variat.*
5. *Casus notabiles super protestu Florentiæ facto.*
6. *Stylus Galliæ protestandi.*

I 7. Sty-

(k) Infero ex hac declaratione quod Bancherii seu Nummularii debent esse cauti in scripturis & subscriptionibus scedularum, & illarum recognitionibus: qui si solverint pecuniam cum scedulis seu apochis falsis, quæ eis præsentantur, &c. quas ipsi veras præsupponunt, quando solvunt, coguntur iterum solvere veris dominis pecuniarum quia male solverunt. Scacc. §. 2. *gloss.* 5. *n.* 397.

7. *Stylus Lugdunensis.*
8. *Stylus Londunensis.*
9. *Stylus Hamburgensis.*
10. *Stylus Venetus.*
11. *Quoties & quando Venetiis Bancum claudatur.*
12. *Stylus Milanensis.*
13. *Stylus Bergamensis.*
14. *Stylus Romanus.*
15. *Stylus Anconensis.*
16. *Stylus Baloniensis. & Livornensis.*
17. *Stylus Amstelrodamus.*
18. *Stylus Viennensis.*
19. *Stylus platearum ubi sunt feriæ Cambiales.*
20. *Stylus Genuensis.*
21. *Opinio, protesta non esse necessaria refellitur.*
22. *Protesta intra certum tempus Trassantibus & Indossantibus aliisque interessatis notificanda.*
23. *Per Edictum de Commerciis non sufficit protesta notificare, sed insuper requiritur, ut actiones certo tempore instituantur alias opponitur exceptio non competentis actionis ob moram.*
24. *Error Edicti demonstratur.*
25. *Quid Trassans & Indossans obmovens exceptionem non competentis actionis ob moram probare debeat.*

1 PRæsentans omnem diligentiam in exigendo solutionem Cambii adhibere, nec moram committere debet, alias si Acceptans non solvendo fiat, periculum ejus est, recursumque suum contra reliquos pro Cambio obligatos sumere non potest, mora enim in exigendo (1) commissus æquiparatur dolo qui nocet suo authori, & non alii.

Quamobrem si dies solutionis cesserit, pro conservandis Juribus & actionibus suis, necesse est ut elevet protestum propter denegatam solutionem, intra tempus, & juxta stylum plateæ, in qua Cambium solvendum est: nam sicuti super litteris Cambii, quæ tractæ sunt Lundini, & solvendæ Parisiis, Protestum non potest fieri juxta formam Londinensem, sed præcise juxta formam Parisiensem, eodem modo super litteris tractis Parisiis, & solvendis Londini, vel in alia platea; si in die non solvantur, protestum fit ad formam Londinensem, vel istius plateæ, ubi solutio fieri debet. 2

Protestum Londini ad hanc fere formam concipitur. 3

Coram me Notario Regali subscripto & testibus infra nominatis A. comparendo requisivit & interpellavit B. quatenus ei in paratis solveret summam contentam in litteris Cambii in ipsum tractis, quarum tenor est ut sequitur, videlicet .... Protestans in defectum solutionis de omnibus expensis, damno & interesse, & quod velit sumere dictam summam de ..... Cambio & Recambio, pro cursu hujus plateæ, & se de ea prævalere in qua-

(1) Dolus est si quis nolit persequi, quod persequi potest; aut si quis non exigeret, quod exigere potest; *l. 44. ff. mandat.* Nominum, quæ deteriora facta sunt tempore curatoris periculum ad ipsum pertinet. *l. 9. §. 9. ff. de adm. rer. ad civit. pert.*

qualibet platea & mundi parte, ubi id sibi expedire putaverit, & in quemcunque, ad quem Cambium pertinet; cui B. respondit quod &c. quam responsionem dictus A. pro denegatione acceptando, inhæsit protestationi, Me Notarium requirens, ut omnia bene notarem; eique desuper unum vel plura Instrumenta pro condigno communicarem, prout obtinuit, actum &c.

En la presence du Notaire sousigné & têmoins aprés nommez Sieur --- à sommé & interpellé Sieur --- de lui payer comptant la somme portée par la lettre de Change sur lui tirée, de la quelle la teneur s'ensuit.

Protestant à de faut de payement de tous depens, dommages & interêts, & de prendre la dite somme de --- à Change & reChange, au Cours de la place de cette ville, & de s'en prevaloir sur telle place, qu'il avisera bon être, sur & contre qu'il apertiendra; & ce parlant à lequell à fait réponse --- ce que le dit sieur à pris pour refus, & persistant en ses protestations, à demandé acte octroyé.

Vide Cap. 6. n. 28.

4 Verum quia stylus ubique variat, ita ut quando veniunt Protesta ex alienis plateis sœpe dubitetur, an validæ sint, nec ne, præsertim si stylo plateæ nostræ non sint conformia, sicut Anno 1664. contigit inter Dominos Gallon Banckerios Lugdunenses ex una, & DD. Robiliardum, & Reinardum nec non fratres Simoneti ex altera partibus, ubi litigabatur super validitate Protesti elevati Florentiæ, quod tamen declaratum est validum per Arrestum de 21. Februarij 1668. in suprema Camera ad relationem defuncti D. Dulaurans: hinc operæ pretium erit differentiam styli Exemplis variarum platearum demonstrare, quo cuilibet constare possit, an protesta aliunde transmissa sint stylo suarum platearum conformia.

Siquidem autem jam dicto casu tempus protesti per occurrentes dies feriatos extra modum prolongatum fuit; hinc spero eum hic loci enarrando, me benevolentiâ Lectoris non abusurum fore.

13. Martij 1664. Robiliardus & Reinardus dederunt litteras Cambii de 1666. $\frac{2}{3}$. daleris Florentinis, 75. daleris Florentinis, pro 100. daleris trium librarum Lugdunensium cambiatis solvendas decem diebus à vistâ, Horatio Marucelli Florentino, per Joannem Paulum Prades Banckerium Florentinum, valutâ à DD. Gallon acceptâ.

20. Martij ejusdem Anni Fratres Simoneti dederunt Dominis Gallon pariter litteras Cambij de 1200. daleris trium librarum Lugdunensium, solvendas decem diebus à vistâ eidem Horatio Marucelli, per eundem Joannem Paulum Prades.

27. Ejusdem mensis Robiliardus & Reinardus dederunt Dominis Gallon alias litteras Cambii de 2000. daleris Gallicis 72. $\frac{1}{2}$. daleris Florentinis pro 100. daleris Gallicis cambiatis, solvendas decem diebus à vistâ dicto Marucelli, per eundem Jo. Paulum Prades.

Lit-

1664. Litteræ de 13. Martij acceptantur 26. Martij.
Litteræ de 20. Martij acceptantur 2. Aprilis.
Litteræ de 27. Martij acceptantur 9. Aprilis.

Super omnibus tribus elevatur Protestum propter denegatam solutionem 22. Aprilis 1664. (propterea quod Prades prætextu negotiorum pridiè absentem se finxerit) & Dominis Gallon remittunrur Lugdunum, sumiturque regressus tam contra Robiliardum & Reinardum, quam fratres Simoneti, actione ad reddendum Cambium una cum retorno & expensis protesti coram Judicio conservationis, 8. Maji 1668. intentatâ.

Robiliard & Reinard nec non fratres Simoneti comparendo excipiunt, protestum non fuisse elevatum debito tempore, sed à die litterarum usque ad protestum longam intercessisse moram, quæ damnum decoctionis Joannis Jacobi Prades acceptantis faceret pertinere ad Marucellum præsentantem, absque quod actionem regressus instituere valeat.

Verum Domini Gallon ad probandum, protestum conformiter usui Florentino fuisse elevatum, producunt testes super sequentibus.

Primò: Florentiæ stylum esse, ut Acceptans Literas Cambii, inscribat tantum hoc verbum *acceptata*, & si sint ad tot dies à vistâ, inscribat diem acceptationis, absque subsignatione.

Secundò, quod dies acceptationis non computetur, sed terminus incipiat currere postridie diei acceptationis.

Tertiò, quod ultima dies termini sit in favorem debitoris, & quod illo die ad solutionem compelli non possit. In tantum, ut quando ultimus dies incidit in diem Saturni, Sive festus sit, sive profestus, litteræ illo die non solvantur, sed solutio differatur in diem Saturni sequentem, quia Cambia solvi non solent nisi primo die Saturni, post cessum diem Litterarum, quo die extrahuntur & dantur bilancia.

Quartò, quod inter Banckerios & celebres mercatores solutiones Litterarum Cambii non soleant aliter fieri, quam per Bancum Giro (quod tenetur à Banckerio quodam per Magnum Ducem ad tempus constituto) medi-antibus Bilanciis, quæ Bancko isti diebus saturni præsentantur. Porro quod Banci præfecto indultum sit tempus usque ad diem Martis sequentem, ad examinandum bilancia, & se declarandum, an partitas inibi petitas approbare velit.

Quintò, Quod Banci præfectus, si partitas in Bilanciis petitas approbare nolit, hoc ipsum notificet per totum diem Martis sequentem; quo casu is qui præsentavit Bilancium, partitas rejectas ipsemet tenetur solvere, nec cogere potest Banci præfectum ad agnoscendum eas pro bonis, & ex post elevatur protestum.

Sextò, quod in hebdomadâ Sanctâ non præsententur Bilancia ad Bancum Giro, nec solvantur Litteræ Cambii, sed

ſed hæc differantur ad diem Saturni ſequentem.

Qui teſtes per Decretum Judicii conſervationis de 5. Auguſti 1664. admiſsi fuerunt, quibus examinatis, inſuperque probato, quod prima Saturni poſt ceſsum diem litterarum Cambii de 13. & de 20. Martii fuerit Sabbathi Sancta, & ſic dies feriata Florentiæ, ut proptereà præſentatio Bilancii uſque ad diem Saturni ſequentem 19. Aprilis, & Elevatio Proteſti ad diem Martis 22. Aprilis differri debuerit, Robiliardus & Reinardus & fratres Simoneti à prætacto Decreto appellaverunt ſed causâ inſtructâ die 28. Februarij 1663. per Arreſtum ad ſolutionem ſummæ in litteris Cambii expreſsæ, cum intereſse à tempore proteſti condemnati fuerunt.

Et quia ex hoc Arreſto apparet Curiam indicaſse, validitatem proteſti dependere ex uſu & ſtylo plateæ, ubi elevatur, placuit hujuſmodi uſus diverſitatem quodammodo in tabula exponere.

6 Per univerſam Galliam Proteſta ſuper litteris Cambii elevari debent intra decem dies, poſt diem ſolutionis (m) idque ſtricte ordinatur per *Art. 4. Tit. 5. Edicti de Commerciis*, ita ut etiam ipſa dies ſolutionis & dies proteſti computentur juxta *art. 6.* in quo contrariatur *Art. 4.* qui proteſtum non præcipit elevari niſi decem diebus poſt diem ſolutionis. Sed de poſt facta eſt declaratio Regia in menſe Junio 1686. conformis Arreſto de 5. Aprilis ejusdem Anni, quâ Majeſtas ſua ordinavit, decendium Præſentantibus conceſsum, computandum eſse à poſtridie diei ſolutionis, ita ut dies ſolutionis in eo non comprehendatur; ſecurius tamen eſt extremam diem non expectare, præſertim cum Præſentanti liberum ſit mox prima die proteſtari.

7 Lugdunenſes ſingulari ſtylo pro litteris (n) in aliquo quatuor pagamentorum ſolvendis utuntur; nempe quod proteſta intra tres dies proxime ſequentes, non feriatos fieri debeant, hoc eſt; cum Pagamenta Regum toto menſe Martio durent, fieri debet proteſtum intra tres primos dies Aprilis non feriatos. Pagamenta Paſchalia durant toto menſe Junii, Proteſta itaque debent fieri tribus primis diebus Julii non feriatis. Pagamenta Auguſti durant toto Septembri, itaque proteſtum elevabitur tribus primis diebus Octobris, & Pagamenta Sanctorum durant toto menſe Decembri, ideo Proteſtum fit tribus primis diebus Januarii ſuper litteris hiſce Pagamentis ſolvendis; Hic ſtylus ordinatione de 2. Julii 1667. Authoriſatus à Rege 7. ejuſdem menſis Homologatus & 17. Maji 1668. In Parlamento confirmatus fuit

(m) *Les porteur des Lettres de Change qui auront été acceptés, ou dont le payement échoit à jour certain, ſeront tenus de les faire payer ou proteſter dans dix Jour áprès cellui de l' échange.* Art. 4. Tit. 5. de l' Edit. de commerce.

(n) *Que le Lettres de Change acceptées payables en payement qui n' auront été payées du tout ou en partie pendant icellui, & Jusques au dernier Jour du mois incluſivement, ſeront proteſtées dans les trois Jours ſuivant non feriez &c.* Art. 9. du Reglement de la Place de Lyon.

1664.
- Litteræ de 13. Martij acceptantur 26. Martij.
- Litteræ de 20. Martij acceptantur 2. Aprilis.
- Litteræ de 27. Martij acceptantur 9. Aprilis.

Super omnibus tribus elevatur Protestum propter denegatam solutionem 22. Aprilis 1664. (propterea quod Prades prætextu negotiorum pridiè absentem se finxerit) & Dominis Gallon remittunrur Lugdunum, sumiturque regressus tam contra Robiliardum & Reinardum, quam fratres Simoneti, actione ad reddendum Cambium una cum retorno & expensis protesti coram Judicio conservationis, 8. Maji 1668. intentatâ.

Robiliard & Reinard nec non fratres Simoneti comparendo excipiunt, protestum non fuisse elevatum debito tempore, sed à die litterarum usque ad protestum longam intercessisse moram, quæ damnum decoctionis Joannis Jacobi Prades acceptantis faceret pertinere ad Marucellum præsentantem, absque quod actionem regressus instituere valeat.

Verum Domini Gallon ad probandum, protestum conformiter usui Florentino fuisse elevatum, producunt testes super sequentibus.

Primò: Florentiæ stylum esse, ut Acceptans Literas Cambii, inscribat tantum hoc verbum *acceptata*, & si sint ad tot dies à vistâ, inscribat diem acceptationis, absque subsignatione.

Secundò, quod dies acceptationis non computetur, sed terminus incipiat currere postridie diei acceptationis.

Tertiò. quod ultima dies termini sit in favorem debitoris, & quod illo die ad solutionem compelli non possit. In tantum, ut quando ultimus dies incidit in diem Saturni, Sive festus sit, sive profestus, litteræ illo die non solvantur, sed solutio differatur in diem Saturni sequentem, quia Cambia solvi non solent nisi primo die Saturni, post cessum diem Litterarum, quo die extrahuntur & dantur bilancia.

Quartò, quod inter Banckerios & celebres mercatores solutiones Litterarum Cambii non soleant aliter fieri, quam per Bancum Giro (quod tenetur à Banckerio quodam per Magnum Ducem ad tempus constituto) mediantibus Bilanciis, quæ Bancko isti diebus saturni præsentantur. Porro quod Banci præfecto indultum sit tempus usque ad diem Martis sequentem, ad examinandum bilancia, & se declarandum, an partitas inibi petitas approbare velit.

Quintò, Quod Banci præfectus, si partitas in Bilanciis petitas approbare nolit, hoc ipsum notificet per totum diem Martis sequentem; quo casu is qui præsentavit Bilancium, partitas rejectas ipsemet tenetur solvere, nec cogere potest Banci præfectum ad agnoscendum eas pro bonis, & ex post elevatur protestum.

Sextò, quod in hebdomadâ Sanctâ non præsententur Bilancia ad Bancum Giro, nec solvantur Litteræ Cambii, sed

sed hæc differantur ad diem Saturni sequentem.

Qui testes per Decretum Judicii conservationis de 5. Augusti 1664. admissi fuerunt, quibus examinatis, insuperque probato, quod prima Saturni post cessum diem litterarum Cambii de 13. & de 20. Martii fuerit Sabbathi Sancta, & sic dies feriata Florentiæ, ut propterea præsentatio Bilancii usque ad diem Saturni sequentem 19. Aprilis, & Elevatio Protesti ad diem Martis 22. Aprilis differri debuerit, Robiliardus & Reinardus & fratres Simoneti à prætacto Decreto appellaverunt sed causâ instructâ die 28. Februarij 1668. per Arrestum ad solutionem summæ in litteris Cambii expressæ, cum interesse à tempore protesti condemnati fuerunt.

Et quia ex hoc Arresto apparet Curiam indicasse, validitatem protesti dependere ex usu & stylo plateæ, ubi elevatur, placuit hujusmodi usus diversitatem quodammodo in tabula exponere.

6 Per universam Galliam Protesta super litteris Cambii elevari debent intra decem dies, post diem solutionis (m) idque stricte ordinatur per *Art. 4. Tit. 5. Edicti de Commerciis*, ita ut etiam ipsa dies solutionis & dies protesti computentur juxta *art. 6.* in quo contrariatur *Art. 4.* qui protestum non præcipit elevari nisi decem diebus post diem solutionis. Sed de post facta est declaratio Regia in mense Junio 1686. conformis Arresto de 5. Aprilis ejusdem Anni, quâ Majestas sua ordinavit, decendium Præsentantibus concessum, computandum esse à postridie diei solutionis, ita ut dies solutionis in eo non comprehendatur; securius tamen est extremam diem non expectare, præsertim cum Præsentanti liberum sit mox prima die protestari.

Lugdunenses singulari stylo pro litteris (n) in aliquo quatuor pagamentorum solvendis utuntur; nempe quod protesta intra tres dies proxime sequentes, non feriatos fieri debeant, hoc est; cum Pagamenta Regum toto mense Martio durent, fieri debet protestum intra tres primos dies Aprilis non feriatos. Pagamenta Paschalia durant toto mense Junii, Protesta itaque debent fieri tribus primis diebus Julii non feriatis. Pagamenta Augusti durant toto Septembri, itaque protestum elevabitur tribus primis diebus Octobris, & Pagamenta Sanctorum durant toto mense Decembri, ideo Protestum fit tribus primis diebus Januarii super litteris hisce Pagamentis solvendis; Hic stylus ordinatione de 2. Julii 1667. Authorisatus à Rege 7. ejusdem mensis Homologatus & 17. Maji 1668. In Parlamento confirmatus fuit 7

(m) *Les porteur des Lettres de Change qui auront été acceptés, ou dont le payement échoit à jour certain, seront tenus de les faire payer ou protester dans dix jour apres cellui de l' échange.* Art. 4. Tit. 5. de l' Edit. de commerce.

(n) *Que le Lettres de Change acceptées payables en payement qui n' auront été payées du tout ou en partie pendant icellui, & Jusques au dernier Jour du mois inclusivement, seront protestées dans les trois Jours suivant non feriez &c.* Art. 9. du Reglement de la Place de Lyon.

fuit, & Art. 7. Tit. 5. Edicti, de 1673. declaratur eum per illud Edictum non abrogari.

8 Londini consuetudo viget, ut Protestum elevetur intra tres dies post diem solutionis, sub pœna negligentiæ & moræ, ubi observandum porrò, quod si tertius dies sit feriatus, Protestum sit elevandum pridie.

Hamburgi idem est pro litteris
9 Cambii Parisiis & Rodovani tractis, sed pro litteris in quibuscunque aliis plateis tractis, dantur decem dies, hoc est; Protestum decimo die, sine ulteriori dilatione fieri debet.

Venetiis litteræ Cambiales non sol-
10 vuntur aliter quam in Banco, & Protestum ob denegatam solutionem fieri debet intra sex dies post diem solutionis; verum necesse est ut Bancum sit apertum, quia eo clauso neque Acceptans ad solvendum in paratis constringi neque protestum elevari potest, quare sex istis diebus imminentibus apertura Banci pro exigendâ solutione, & elevando protesto diligenter exspectanda est, alias mora & negligentia Præsentanti imputabitur.

11 Bancum ordinarie singulis annis quindecim vel viginti diebus clauditur quod fit circiter 20. Martii, 20. Junii, 20. Septembris, & 20. Decembris; Præterea tempore Bacchinalium clauditur per octiduum, & Hebdomadâ sancta, si ea non incidat sub finem Martii.

Milani terminus quidem ad Elevandum protesta præfixus non est, sed tamen usus observat, ne id multis diebus differatur. 12

Bergami Protestum ob denegatam solutionem fit intra tres dies à die solutionis. 13

Romæ statuti sunt quindecim dies, à die solutionis. 14

Anconæ octo dies, à die solutionis. 15

Boloniæ & Livorni nihil certi determinatum est; sed plerumque Protesta ob denegatam solutionem, fiunt intra paucos dies proximos. 16

Amstelrodami Protesta fiunt quinto die post diem solutionis, quod idem obtinet Norimbergæ. 17

Viennæ Austriæ Protesta fiunt tertio die. 18

Illis locis, ubi sunt feriæ Cambiales, sicuti Novani, Francofurti, Bolzani, Lincii, Protesta ob denegatam solutionem [o] fiunt ultimo die feriarum. 19

Nusquam tempus Elevandi Protestum super litteris Cambii tam longè extenditur, sicut Genuæ, ubi conceduntur triginta dies. *Cap. 14. lib. 4. Statutor.* 20

Quarundam Platearum Mercatores, & in specie Romani persuasum sibi habentn, on esse necessarium quòd elevetur protestum ob denegatam solutionem, verum opinio ista non tantum universalem observantiam, sed etiam rationem ipsam naturalem impugnat, 21

(o) Si Cambium aliquod esset solvendum, & non acceptaretur vel non solveretur, teneatur Creditor, seu ille cui Cambium solvendum esset, protestari intra triginta dies, à die solutionis faciendæ alias remanet obligatus pro ipso Cambio &c. *Cap. 14. lib. 4. Statut. Genuens.*

pugnat, nam quomodo præsentantes recursum contra authores suos fundate poterunt, nisi solutionem in termino ab Acceptante denegatam esse docuerint? (p) Quare firmiter tenendum, Quemlibet præsentantem litterarum Cambii teneri ad Elevandum protestum in die solutionis juxta usum & consuetudinem Platearum, ubi Litteræ solvi debent, illudque Protestum requiri ad formam substantialem, & propterea per quemcunque alium actum suppleri non posse; prout etiam *Artic.* 10. *Tit.* 5. *Edict. de Commerciis* id præcise requirit.

21 Verum quia Protestum illis qui pro Cambio obligati sunt, & quiècontra actionem & regressum ex Cambio habent, ut sunt Præsentantes & ipsimet Trassantes, omnino esset inutile, nisi elevatum esse illis debite notificetur, (q) & quia in facto contigit, quod Præsentantes Protestationi factæ confidentes omiserint illam notificare interesse habentibus, putantes se contra eos, pro summa Cambii & interesse quandocunque agere posse, unde plurima absurda coram Judicio Consulari Parisiensi sequebantur.

Hinc Parlamentum per Arrestum de 7. Septembris 1664. statuit, quod protesta intra tempus pro distantiâ locorum conveniens, notificari debeant omnibus Trassantibus & Indossantibus litteras Cambii, & Ordinatio Lugdunensis de 7. Julii 1667. statuit, quod protesta super litteris Cambii totius Regni debeant notificari intra bimestre, super litteris Italiæ, Helvetiæ, Germaniæ, Hollandiæ, Flandriæ, & Angliæ intra trimestre; Hispaniæ, Portugalliæ, Poloniæ, Suetiæ & Daniæ intra sex menses.

Per Edictum de Commerciis non 22 sufficit Protesta simpliciter esse notificata; (r) sed præterea requiritur, quod contra Trassantes & Indossantes, si non ultra decem milliaria distent, actio instituatur intra quindenam, si vero longius distent, juxta proportionem, una

(p) Priusquam Campsor possit agere contra Campsarium ad litterarum solutionem debet apparere, an illæ litteræ fuerint acceptatæ & solutæ pro ut inter eos actum fuit, & quando non fuerint solutæ, debet apparere, quod Campsor, seu alius nomine ipsius protestatus fuit. Scacc. §. 7. *gloss.* 2. *n.* 3. *in fin.*

(q) Si protestaretur & certioraret debitorem utique debitor, si tunc non solveret teneretur ad Cambium & ad interesse, sed non certioratus videretur excusandus, quia posset præsumere litteras fuisse solutas: hæcque justa præsumptio excusaret à morâ. Curt. Jun. *Cons.* 132. *habita. n.* 11. Tum quia si litteræ Cambii spectent ad eundem, cui solvendæ erant, posset maliciose omittere protestationem, & certiorationem debitoris, quia cum sciat debitorem esse securum & idoneum, desiderat illum obligare etiam pro interessibus, cui maliciæ Statutum Genuense prudenter obviavit. Scacc. §. 2. *gloss.* 5. *n.* 320.

(r) *Ceux qui auront tiré ou endossé des lettres seront pour suivi en garantie dans la quinzaine, s'il sont domiciliés dans la distance de dix lieues & au de la, à raison d'un jour pour cinq. lieuës, sans distinction du ressort des Parlemens scavoir, pour les personnes domiciliés dans nôtre Royaume, & hors icellui, les délais seront de deux mois pour les personnes domicilées en Angleterre, Flandre ou Hollande, de trois mois pour l'Italie, l'Allemagne & Cantons des suisses, de quatres mois pour l'Espagne, de six pour le Portugal, la Suede & le Dannemarc.* Edict. de Commerc. Tit. 5. Art. 13.

unâ die pro singulis quinque milliaribus computatâ, & hoc quidem pro personis in Regno domiciliatis, si vero in Anglia, Flandria & Hollandia moram trahunt, præfiguntur duo menses, si in Italia, Germania & Helvetia, tres menses, si in Hispania quatuor menses, & si in Portugallia Suecia & Dania sex menses. *Artic.* 14. hujus Edicti, definit quomodo hæc tempora sint computanda, & *Art.* 15. introducit contra Præsentantem exceptionem non competentis actionis ob moram;

24 Sed nunquid ista necessitas instituendi actionem, per supratactam declarationem de Anno 1664. introducta, videtur adversari bono commerciorum; tollit enim omnem commoditatem, quam alias Creditor debitoribus suis, sine unius aut alterius præjudicio, concedere poterat, & Mercatores etiam invitos, cum utriusque damno litigare cogit.

Savarii in Tractatu suo *Le Parfait Negotiant, Cap.6. lib.3. part.*1. Necessitatem illam agendi ideo introductam esse ait: quia observati sunt abusus in notificationibus, quæ non semper bonâ fide fiebant: Verum si eædem præcautiones in *Ordinatione Mensis Julii Anno* 1667. *Art.* 4. *cum similibus* factæ tantum essent ad limitandum terminum notificandi, nec ulterius ad necessitatem instituendi actiones progredirentur, videri possent utilitati commerciorum servire.

Plane illa forma quâ dispositio tam in puncto notificationis in declaratione de Anno 1664. & in Ordinatione Lugdunensi, quam in puncto intentandæ actionis in Edicto de Commerciis concepta est, quantum ad litteras extraneas, difficilis est executionis, quia extra territorium Jus dicendo disponit de litteris Italiæ, Helvetiæ, Germaniæ, Hollandiæ, Flandriæ, Angliæ &c. & de personis in istis Regionibus moram trahentibus, nec non de notificationibus & actionibus extra Regnum instituendis, super quibus solis Judicibus extraneis cognitio competit, qui secundum leges Galliæ nostræ judicare non tenentur.

Melius defendi posset, si ordinationes istæ præciperent, quomodo litteris Cambii in Gallia tractis, & in extraneis Regionibus solvendis, ob denegatam verò solutionem protestatis, Trassantes & Indossantes conveniendi sint, præfigendo v. g. pro litteris in Anglia solvendis duos menses &c. hæ enim actiones coram Judicibus Regni instituendæ, & juxta leges Regni decidendæ sunt.

Porro clarius explicare debuisset, utrum tempus præfixum competat cuilibet Indossanti; ita ut si litteræ à pluribus in diversis locis habitantibus indossatæ sint, ad quos conveniendos tempus istud totum impendi debet, Trassans nihilominus adhuc certiorari & conveniri valide possit, vel utrum idem tempus stricte sumendum, ut litteræ de loco, ubi solvendæ fuerunt directe mittendæ sint cum protesto ad locum, ubi tracta facta est, desuper enim aliquando controversia fuit cujus

jus decisio satis difficultatis habuit, vidi ego litteras Cambii tractas Aureliæ & solvendas Parisiis de cujusdam ordine, qui eas indossaverat in favorem cujusdam Turonensis, hic indossavit eas in favorem alicujus ex oppido S. Stephani Furani, hic iterum in favorem cujusdam Lugdunensis, & demum hic in favorem cujusdam Parisiensis, sed litteræ cum protestu remissæ sunt Lugdunum, & successivè ad singulas plateas, quas per Indossationes transiverant, quod sane expediri non potuit intra tempus pro duabus istis plateis Aureliâ & Parisiis in *Art.* 13. Edicti de Commerc. præfixum, nempe novendecim dies, eo quod distent tantum 30. milliaribus & pro decem milliaribus computentur quindecim pro reliquis vero viginti milliaribus, quatuor dies, juxta proportionem unius diei ad quinque milliaria, Trassans itaque post lapsum temporis conventus opposuit exceptionem non competentis actionis ob moram, & communis opinio fuit, cuilibet Indossanti competere tempus, juxta distantiam loci in quo suus author moratur, & quod Trassans non potuerit computare, nisi à die quo actio contra illum, cui ipse dederat litteras terminata fuit, sed lis fuit transacta ante Arrestum, quod loco præjudicii esse potuisset;

Savarij Cap. 22. similem quoque facti speciem enarrat, quæ contigit Lavalii in Februario 1673. & quod Consules Lavalienses miserint acta ad Consules Parisienses, ad quorum consilium sententia lata fuit, juxta præmemoratam communem opinionem, postea per Arestum confirmata, verum addenda fuissent nomina partium & dies latæ sententiæ & Aresti.

Si Edictum de Commerciis præciperet tantum notificationem protesti, sicut facit Declaratio de Anno 1664. posset Præsentans omni difficultati propositæ quæstionis facile prævenire, obtinendo duo Instrumenta protesti quorum alterum mitteret ad indossantem, alterum vero ad Trassantem; Verum Edictum hoc injungit prosecutionem actionis, quod revera nihil aliud est, quam imponere processum quem quilibet evitare satagit.

Ad hoc ut Indossans pro Cambio 25
conventus (s) exceptionem non competentis actionis ob moram opponere possit, probare debet, se dedisse valutam litterarum, vel fuisse creditorem sui authoris, & ut Trassans eâdem exceptione uti possit, probare debet, eum in quem traxit, fuisse suum debitorem, vel habuisse provisionem, juxta *Art.* 16. *Tit.* 5. *Edict. de Commerc.* idque æquitati conforme est; nam si Indossans non dedisset valutam non esset creditor sui authoris (t) & si Trassans non misisset provisionem, non

(s) *Les Tireur ou endosseur des lettres de Change seront tenus de prouver, en cas de negation, que ceux sur qui elles êtoint tirées leur étoint redevables, ou avoient provision au tems qu' elles out dû être protestées si non il, seront tenus de le garantir*. Edict. de Commerc. Tit. 5. Art. 16.

(t) Cum enim sit bonæ fidei Judicium, nihil magis bonæ fidei congruit, quam id præstari quod inter contrahentes actum est. *l. 11. pr. ff. de act. Empt.*

non esset creditor ejus à quo Cambium solvendum fuisset, & per consequens ambo ejusdem conditionis essent cujus est vendens rem alienam (u) vel cedens nomen, seu debitorem falsum, qui cum in dolo versetur exceptionem nullam opponere potest; Verum si alter solverit valutam, & alter miserit provisionem, liberi sunt à regressu, si protestum debito tempore & juxta stylum locorum non sit elevatum, & specialiter in Gallia actio intra tempus per Edictum de Commerciis statutum non sit intentata.

Quoniam autem diligentia quam præsenti Capite à Præsentante præstandam esse ostendimus ad conservandum ejus Jura & actiones requiritur, consequens est, ut sequenti Capite videamus, in quo Jura & actiones ista consistant.

Ex hoc Capite collige quatuor Axiomata.

AXIOMATA.

1. Præsentans tenetur in termino solutionis, vel intra dies in loco solutionis ordinarios exigere solutionem, vel elevare protestum, illud notificare & prosequi eos, contra quos regressum habere prætendit sub pœna non competentis actionis ob moram.

2. Ad valorem protesti requiritur, ut fiat juxta usum locorum, ubi litteræ solvendæ sunt, & non juxta usum locorum, ubi litteræ tractæ sunt.

3. Præsentans Indossantes vel Trassantes nequaquam convenire potest, nisi per protestum constet de denegatione solutionis.

3. Ut Indossantes & Trassantes se propter negligentiam Præsentantis in protestando & notificando tempore debito commissam à regressu liberent, probare debent, se valutam dedisse vel acceptantis creditores esse, vel misisse provisionem.

CAPUT XV.

De Juribus, actionibus & remediis Præsentanti Elevato super litteris Cambii Protestu competentibus.

SUMMARIA.

1. *Præsentans, si non sit Dominus litterarum Cambii protestatarum, eas tantum remittere & expensas protesti & provisionem repetere potest.*
2. *Præsentans si sit Dominus litterarum protestatarum habet tria remedia ex quibus habet electionem.*
3. *Primum remedium est quod possit repe-*

(u) Si dolo malo aliquid fecit venditor in re vendita, ex empto eo nomine actio emptori competit; nam & dolum malum eo Judicio æstimari oportet, ut id quod præstaturum se esse pollicitus sit venditor, emptori præstari oporteat. *l. 6. §. 8. ff. de act. empt.*

repetere expensas protesti, interesse à die protesti, cum summa capitali repetere.

4. *Interesse cambiale currit non à die litis contestatæ, sed à die protesti.*
5. *Secundum est quod possit facere recambium, & quomodo id fiat.*
6. *Exemplum recambii.*
7. *Tertium remedium est quod hoc recambium possit facere pro quâlibet plateâ & quâlibet mundi parte.*
8. *Faciens recambium pro alia platea, quàm in qua litteræ Cambii Trassatæ sunt hoc interesse habentibus, tempestive notificare debet.*
9. *In Gallia inhibitum est recambiare pro alia platea, quam in qua factum est Cambium.*
10. *Leges Galliæ non obligant extraneos.*
11. *Recambia pro alia platea, quàm in qua factum est Cambium, diversis casibus practicantur.*
12. *Primus casus si litteræ protestatæ, in diversis plateis indossatæ sint.*
13. *Exemplum.*
14. *Secundus casus si inter civitatem protesti & civitatem tractæ non sit continuum & regulatum commercium.*
15. *Tertius casus est ubi inter utramque plateam est commercium.*
16. *Savarij tres casus ponit quibus plura recambia fiunt.*
17. *Primus casus si Trassans mittat litteras suas ad aliam plateam quam pro qua tractæ sunt.*
18. *Exemplum.*
19. *Secundus casus si litteræ trassatæ pro loco intermedio mittantur ad acceptantem loco provisionis unde solvatur primũ Cambium & protestentur.*
20. *Exemplum.*
21. *Tertius casus si Remittenti data sit facultas transferendi litteras ad aliam plateam.*
22. *Si recambium cum minori Trassantis dispendio hoc, quam alio modo potuerit fieri, Trassans non tenetur recambium carius solvere quam ad modum minoris dispendii.*
23. *Recambii multiplicatio primo casu iniqua est.*
24. *Removetur objectio.*
25. *Differentia inter obligationem Trassantis & actionem, quam Præsentans habet adversus suum authorem.*
26. *Recambia quæ fiunt secundo casu pro locis intermediis defenduntur necessitate, dummodo Trassans tempestive certioretur; sicut etiam si Trassans intermisit mittere provisionem, unde recambium solvatur.*
27. *His casibus videtur tacite conventum esse, ut fiant & multiplicentur recambia.*
28. *Id sine quo contractus impleri non potest, videtur tacitè contractui inesse.*
29. *Recambia tertio casu pro locis intermediis facta, justa sunt, si probetur raritas pecuniæ, in loco protesti, ad locum tractæ.*
30. *Si vero id probari non possit injusta sunt.*
31. *Trassans contra litteras recambii non potest excipere contra earum veritatem.*

32. *Recambia, quæ in binis prioribus casibus à Savarij positis multiplicantur non habent difficultatem.*

33. *Tertio casu, ita conventum est ut multiplicentur.*

1 SI litteræ Cambiales ad Præsentantem non pertineant, sed ei pro computu alterius missæ sint, plus Juris non habet quam ut remittere eas Authori suo, & Expensas Protesti & provisionem suam, hoc est mercedem præstitæ operæ repetere possit.

Verum si litteræ pertineant ad ip-
2 sum, tria habet remedia ad consequendum damnum, ob denegatam solutionem perpessum, ex quibus de generali consuetudine unum eligere potest.

Primo potest Expensas protesti, &
3 interesse à die protesti, usque ad realem solutionem, cum summa capitali condicere. (x)

Quia interesse cambiale à die pro-
4 testi debetur, tametsi actio instituta aut lis contestata nondum fuerit; pro ut disponit *Art. 7. Tit. 6.* Edicti de Commerciis & sæpius per Aresta judicatum est.

Secundo [y] potest facere recam- 5
bium h. e. pecuniam per viam novi Cambii capere ab alio, eique litteras Cambii date, illo loco solvendas, ubi litteræ protestatæ fuerunt tractæ, hocque recambium continebit: *Primo* summam capitalem Cambii, respectu cujus erat Præsentans; *Secundo* Expensas protesti: *Tertio* provisionem; (z) *Quarto* mercedem proxenetarum; *Quinto* pretium novi Cambii, pro quorum omnium explicatione ponamus exemplum.

Ponamus, litteras Cambiales super 6
quibus elevatum fuit protestum ob denegatam solutionem, esse de 4000. libris, tractas Lugduni, & solvendas Parisiis. Expensas Protesti esse 1. lib. & 10. solidos, Provisionem trientem pro centum, & sic in toto 13. libras, 6. solidos, 8. denarios, Proxeneticum semi quadrantem pro centum, in toto 5. libras, & pretium novi Cambii seu recambii ad proximum pagamentum semi-libram pro centum in toto 60. lib. 5. sol. 10. Denar. tota summa erit 4080. lib. 2. solid. 6. Denar. de qua faciet litteras recambii & hæc praxis confir-

(x) *L' interest du principal & du Change sera dû du Jour du protest, encore qu' il n' ait été demandé en Justice.* Edict. de Commerc. Tit. 6. Art. 7. Arrest du Conseil du 26. Juin 1647. entre Jean Savaron & Balzac, & Seguret. Arrest du Parlement, du 13. Junii 1643. entre Maitre Pierre le Clerc de la Galoriere & Consors, & Jaques Despinoy defendeurs.

(y) *Ne sera dû aucun rechange pour le retour des Lettres, s' il n' est Justifié par pieces valables qu' il a été pris de l' argent pour le lieu au quel la lettre aura été tirée, si non, le rechange ne sera que pour la restitution du Change avec l' interest, les frais du protest & du voyage, s' il en a été fait, aprés l' affirmation en Justice.* Art. 4. tit. 6. Edict. de Commerc.

Qui exigere debet Cambium, potest non soluto pecunias Cambio capere protestatione factâ. Rota Genuens. *decis.* 143. *n.* 1.

(z) Provisio est stipendium, seu merces, eaque datur Præsentanti quandoque ratione solius laboris, quandoque ratione solius periculi, & quandoque ratione utriusque laboris & periculi. Scacc. §. 3. *gloss.* 3.

firmatur *Art.* 4. *Tit.* 6. Edicti de commerc.

7 *Tertio* est praxis universalis, ut possit Præsentans vigore Clausulæ Protestus hocce recambium facere, non tantum pro platea, in quâ litteræ protestatæ fuerunt tractæ; sed etiam pro quacunque platea & quacunque mundi parte sibi expediens putaverit, in tantum ut viderim litteras Cambii trassatas Lugduni, & solvendas Madritti, & Præsentantem, post elevatum protestum fecisse recambium & litteras recambii direxisse Amsterdamum, & Trassantem Lugdunensem absque ulla difficultate procurasse provisionem, unde hujusmodi recambium Amsterdami solveretur, quia talis usus est universalis omnium platearum, & Clausula de capienda summa Cambio & Recambio, pro quacunque platea & quacunque mundi parte id sibi expediens putaverit, Protestationibus ordinarie inseritur.

8 Illud autem indubitatum est, si Præsentans sumit Cambia pro alia platea, quam unde litteræ protestatæ venerunt, quod teneatur id Interesse habentibus oportuno tempore (a) notificare, ut provisionem, unde recambium solvatur, illuc tempestive transmittere valeant.

Ultimum hocce remedium in Gallia per *Art.* 5. *Tit.* 6. Edict. de commerciis abrogatum est; (b) 9

Verum quia leges Patriæ nostræ non obligant Extraneos, hinc ne favor Mercatorum Regni per eas intentus in eorum odium torqueatur investiganda est utriusque partis æquitas, quæ sine contradictione sequenda est. 10

Remedium istud trassandi Recambium pro aliâ plateâ, quam ubi factum est Cambium pro diversis in casibus practicabatur. 11

Primus & præ cæteris notabilis erat, si in litteris Cambii Protestatis inveniebantur plures ordines quibus mediantibus per varias plateas giraverunt, tunc enim Præsentans regressum sumebat contra suum authorem, hicque contra suum, & sic reliqui successive. 12

EXEMPLUM.

Petrus Parisiensis dat Cajo, pariter Parisiensi Litteras Cambii de 3000. libris, datas mense Junio in Marcellinum Lugdunensem, solvendas Cajo, vel ejus ordine in pagamento Augusti; hoc est, toto mense Septembri proximo, Cajus ordinem suum scribit in favorem Aurelii Amsterdami, hic in favorem Sempronii Veneti, & Sempronius Venetus in favorem Mevii Lugdunen- 13

(a) Rursus notificetur debitori, ad effectum ut certo sciat debitum suum jam esse sub usuris, sicque possit si velit, ab illis se liberare. Scacc. *§. 1. quæst. 7. p. 2. Ampl. 8. n. 250.*
Clam facere videri Cassius scribit eum, qui celavit adversarium, neque ei denuntiavit. *l. 3. §. 7. ff. quod vi aut clam.*

[b] *Le lettre de Change même payable au Porteur, ou à ordre étant protestée, le rechange ne sera dû par celui, qui l'aura tirée, que pour le lieu, ou la remise aura été negotiée sauf à se pourvoir par le Porteur contre les Endosseurs pour le payament d'un rechange des lieux ou elle aura été negotiée, suivant leur ordre.*

nensis, ut scilicet procuret acceptationem & solutionem.

Marcellinus Lugdunensis, in quem tracta facta erat, patitur in fine pagamenti super Litteris Cambii elevari protestum, quare Mævius Præsentans sumebat recambium contra Sempronium Venetum, unà cum Expensis Protesti, proxenetico & suâ provisione: Sempronius Venetus solutionem factam per viam recambii requirit ab Aurelio Amsterdamo, unà cum proxenetico & provisione & Aurelius Amsterdamus à Cajo Parisiensi primo Indossante, pariter cum proxenetico & provisione; per tot successiva recambia, certum est ultimum recursum multo graviorem reddi, quam si recambium tractum fuisset Lugduni, directe pro civitate Parisiensi.

Nihilominus tamen Cajus postulat à Titio Trassante restitutionem omnium horum recambiorum, per denegatam solutionem litterarum suarum causatorum, tanquam à fidejussore nedum pro litteris Cambii; sed etiam pro omni damno & Interesse non factæ solutionis.

14 Aliquando remedio hoc sumendi recambia pro qualibet platea & qualibet mundi parte Præsentans ex necessitate utitur; nimirum si platea in qua cambium solvendum erat, & platea ubi litteræ tractæ sunt, inter se non habeant continuum & regulatum commercium; Exemplum datur in litteris solvendis Boloniæ in Italia & tractis Parisiis, certum namque est, has duas civitates inter se non habere commercium continuum, necessitas itaque jubet sumere Cambio pro tali aliqua platea, quæ cum utraque commercia continua habet sicut est Lugdunum, ut ita debitor Cambii possit recambium vel in ipsa platea intermedia solvere, vel pati ut creditor ibidem aliud recambium in se trahat, & idem est quo ad plurimam partem aliarum platearum Italiæ cum civitate Parisiensi, item Hamburgum, Dantiscum & alias, cum civitate Lugdunensi &c.

Contingit etiam, ut licet inter plateam ubi litteræ tractæ, & plateam pro qua tractæ sunt, habeatur commercium, nihilominus tamen Præsentantes capiant recambio, pro alia quadam platea. E.G. Litteris Trassatis Lugduni, & protestatis Venetiæ, Præsentantes Recambia sæpissime dirigunt ea, vel Novanium vel Ambsterdamum, vel Londinum. 15

Savary in Tractatu le parfait Negotiant *part.* I. *Lib.* 3. *Cap.* 11. adhuc tres casus proponit quibus plura Recambia fiunt. 16

Primus est si Trassans remittat literas suas Banckerio alterius loci, quam pro quo tractæ sunt. 17

EXEMPLUM.

Petrus Parisiensis debet 3000. lib. Jacobo Amsterdamo, & ad se liberandum, mittit eidem litteras Cambii, in Paulum Lugdunensem tractas, cum ordine easdem in alium transferendi, super hisce litteris elevatur protestum, hoc casu Præsentans trassat Recambium in Jacobum Amsterdamum, qui 18

fecit

fecit remissam & Jacobus ulterius trassat in Petrum Parisiensem.

19 *Secundus* casus quem Savary *eod. loc.* proponit est, si quis trasset litteras pro aliqua platea & quo melius istæ solvantur, trasset quoque alias litteras pro alia quadam platea, & hæ ultimæ fuerint protestatæ.

EXEMPLUM.

Petrus Rigodunensis in Avernia
20 trassat litteras Cambii de 3000. lib. in Paulum Parisiensem solvendas Thomæ; & pro solutione harum litterarum remittit Paulo alias litteras in Jacobum Aurelianum tractas, quas Jacobus Aurelianus patitur protestari, quo casu Præsentans capit recambio pro platea Parisiensi & Parisiis capitur recambio Rigodunum.

21 *Tertius* casus quem idem Savary proponit est, si Trassans Remittenti, vel Præsentanti, concedat facultatem transferendi eas ad plateam diversam ab ea pro qua trassatæ sunt, vel transferendi ad quamlibet plateam & mundi plagam ad quam expedire putaverint, & hoc casu, si litteræ cum protestu redeant, omnia recambia successive fieri possunt juxta facultatem à Trassante concessam. *Art.6. Tit.6. Edict. de Commerc.*

Hi sunt casus quibus litteræ protestatæ non redeunt directe ad plateam in qua tractæ sunt; quos juxta æquitatem, rationem, & leges examinari oportet, abstrahendo ab omni usu, nisi in quantum æquitati conformis est, nam in quantum usus æquitati contrariat, tanquam abusus & corruptela corrigendus est.

Æquitas postulat, ut (c) si Præsen- 22
tans recambium cum minori Trassantis dispendio hoc, quàm alio modo potuerit facere, Trassans non teneatur recambium carius solvere, quàm ad eum modum, quo causatur minimum dispendii.

Hac regulâ positâ certum est, quod 23
quando de platea ubi Cambiū solvendum erat, ad plateam in qua tractæ sunt litteræ, est regulatū cōmercium sicuti Lugduno Parisios, Recambium minori Trassantis dispendio fieri possit pro civitate Parisiensi, quam si fieret pro alia quadam civitate v. g. pro Venetiis; per consequens igitur Trassans litterarum Parisiis datarum, & Lugduni protestatarum non tenetur plus solvere, quam retornum Lugduno Parisios, & iniquum foret eum alio graviori modo ad indemnisationem condemnare.

Nec audiendus est Præsentans ob- 24
jiciendo, quod recurrere debeat ad suum authorem, quia per Recambium sumptum pro Parisiis, tantundem consequitur quantum consecuturus esset per Recambium sumptum in suum authorem, ita ut frustra fiat Recambiorum multiplicatio præterquam quod Trassans, quà principalis & origina-

(c) Confirmatur secundo quia creditor, quando potuisset aliter cum minori dispendio se conservare indemnem, tunc debitor tenetur solum ad id, quo cum minori dispendio potuisset se conservare indemnem, & non ad illud plus. Scacc. *§.1. quæst.7. ampl.8. n.249. in fin.* Quilibet enim debet esse intentus ut non noceat sed ut prosit alii. *Gloss. in l.1. §.2. ff. de peric. & comm. rei vendit.*

ginarius debitor Cambii per translationes, quibus litteræ per diversas plateas giraverunt, tanquam factum alienum [d] gravari non debeat.

Hoc considerato dicendum est quo ad Recambia primi casus, *Art. 5. Tit. 6. Edict. de Commerc.* conformem esse æquitati, quæ bona ratione, negligi non potest.

25 Magna differentia est inter obligationem Trassantis, & actionem quam Præsentans habet adversus suum authorem, nam Trassans ad nihil aliud tenetur, quam ad retornum à loco, pro quo, directe ad locum ubi facta est tracta, quæ unica tantum obligatio ex facto ejus oritur, & dici potest substantia contractus Cambialis; qui contractus Cambialis ex parte Trassantis nihil aliud importat, quam promissionem solutionis litterarum Cambii, & in casum elevati protesti recambii de loco ad quem tractæ fuerunt litteræ, ad locum originarium, nequaquam vero promissionem solutionis recambiorum, quæ proveniunt ex translationibus, de quibus tempore contractus (e) cogitatum non est, & quæ contingerunt facto Præsentantium tempore contractus omnino ignotorum.

Verum quando Præsentans actionem intentat directè contra suos immediatos authores, facit id ad quod se astrinxit, quod idem est in reliquis.

26. Quoad recambia, quæ secundo casu fiunt pro locis intermediis, necessitas ea defendit, dummodo originarius Trassans litterarum protestatarum, tempore oportuno, ut solutionem Recambii alicui mandare possit, certioretur: pro ut etiam propter eandem necessitatem defendi potest, si eo casu, quo Trassans intermisit ad plateam intermediam mittere provisionem, unde recambium solvatur, fiat alterum recambium ab hac platea intermedia, ad plateam originariam. 26

Non incongruè enim dici potest hisce casibus inter contrahentes tacite conventum esse, ut Recambia taliter fiant; nam de natura contractus Cambialis est, ut in defectum solutionis, Præsentans retornum cum Recambio capiat, in eundem usum in quem solutio Cambii, si secuta fuisset, impendi debuit. 27

Verum cum prætactis casibus impossibile sit Recambium cum retorno capere, directe pro loco litterarum Cambii originario, necesse est ut id saltem fiat per plateas intermedias, id autem quod necessario fit & sine quo contractus impleri non potest ei tacite (f) inesse intelligitur, & idem operatur quod expressum & per consequens Recambia hisce casibus per indire- 28

(d) Factum cuique suum, non adversario nocere debet. *L. 155. ff. di Reg. Jur.*

(e) Non attenditur id de quo cogitatum non docetur. Arg. *L. 9. ff. de transit.*

(f) In contrahendo quod agitur pro cauto habendum est. *L. 3. ff. de reb. Credit.* Hoc est, cum contrahimus, quædam, & si non verbis nominatim expressa, subintelliguntur tamen, ex natura ipsius actus, quem agimus seu gerimus; ea pro cautis & expressis habenda sunt: perinde præstantur ea, ac si cauta & expressa fuissent. Godof. *in d. l. litt. I.*

directum facta non secus debentur, quam si desuper conventum esset, *Art. 6. Tit. 6. Edict. de Commerc.*

29 De Recambiis quæ tertio casu pro locis intermediis fiunt quæritur; si per documenta authentica Proxenetarum istius plateæ, ubi ob denegatam solutionem protestatio facta est, probetur, tempore protestationis, & intra octo dies sequentes inopiam pecuniæ fuisse pro loco tractæ, hoc casu Recambium pro loco intermedio sumptum ejusdem naturæ erit, cujus est, Recambium secundi casus: Et licet raritas pecuniæ casu fortuito evenerit; id tamen non poterit gravare Præsentantem, quia Trassans qui solutionem litterarum suarum non procurando, causa est elevati protestus, casum etiam fortuitum præstare tenetur.

30 Sed si raritas pecuniæ in loco protesti pro loco tractæ probari non possit, indubitatum est, quin multiplicatio Recambiorum, rationibus primo casu adductis improbanda & rejicienda sit.

Et tunc non minus, quam primo casu Trassans ulterius non tenetur, quam ad Recambium & omnes Expensas supra specificatas, juxta cursum tempore protesti, in loco protesti, pro loco tractæ existentem, & hæc sine dubio ratio est, quod sub finem protestuum ex Italia venientium semper attestatum duorum Proxenetarum adjungatur super pretio, quo eo tempore cambiari solebat pro loco, ubi litteræ protestatæ sunt tractæ.

31 Trassans autem excipere non potest, Recambium esse fictum, & ideo se ultra interesse non teneri; quia si de Recambio & de pecunia in illa platea, ubi litteræ Recambii tractæ sunt acceptâ constet, Recambium solvi debet; nec interest Recambium pro platea intermedia sumptum esse. *Art. 4. Tit. 6. Edict. de Commerc.* non specificat, pro qua platea Recambium fieri debeat ut Trassans ad illud loco interesse solvendum teneatur; & specificatio loci *Articulo 5.* tantum fit ad statuendum modum, quo Recambium obliget, illudque non annullat sed confirmat.

Quantum ad Recambia quæ in bi- 32
nis prioribus casibus, à Savary propositis practicantur, nulla est difficultas, quia in iis continentur nudæ commissiones, & ideo Præsentantes, qui sunt nudi mandatarii, actiones mandati instituunt contra Trassantes, tanquam mandantes, quorum facto damnum passi sunt.

Tertio vero casu, taliter inter contrahentes conventum est, ut proinde quod semel placuit, amplius displicere non possit.

AXIOMATA.

1. Præsentans qui Cambii Proprietarius non est, remittit litteras, si ob denegatam solutionem protestatæ fuerint, ad suum autorem, & repetit expensas protesti & suam provisionem.

2. Præsentans Proprietarius Cambii, si litteræ protestatæ fuerint ob dene-

negatam solutionem, potest primo repetere summam capitalem cum Expensis protesti, secundo trassare pro platea Cambii originaria,& non aliâ, summam capitalem,Expensas protesti, suam provisionem, proxeneticum & pretium novi Cambii, quod dicitur facere Recambium.

3. Si inter plateam solutionis,& plateam tractæ non frequentetur commercium regulatum, Recambium factum pro platea intermedia debetur.

4. Si Trassans concesserit facultatem transferendi litteras ad diversas plateas, Recambium istarum platearum debetur.

CAPUT XVI.

A quibus Præsentans solutionem litterarum Cambii ob denegatam solutionem protestatarum, cum damno & interesse repetere possit.

SUMMARIA.

1. *Præsentans actionem ad consequendum Capitale cum interesse & damno, contra omnes in litteris Cambii comprehensos, in solidum instituere potest, & habet electionem, contra quem id facere velit, nec gaudent beneficio divisionis aut ordinis.*
2. *Ratio quare contra Acceptantem agere possit.*
3. *Ratio quare contra Trassantem agere possit.*
4. *Ratio quare contra Remittentem, & qui dederunt valutam pro Indossamentis.*
5. *Cautela eorum, qui litteras pro alterius computu capiunt.*
6. *Contra Indossantes non agitur actione utili, sed directa.*
7. *An & quando detur actio contra mandantem capi litteras Cambii.*
8. *Indossans excipere nequit, se non in proprium, sed alienum Computum ordinem scripsisse, nisi id ex litteris appareat.*
9. *Exponitur Casus.*
10. *Si is à quo valuta in litteris declaratur, id neget, & declarationem absque mandato suo factam asserat, simplici negatione tutus est, nisi probetur.*
11. *Si quis Indossatorum vel eorum, qui dederunt valutam pro ordinibus, solvat litteras præsentatas, intrat in Jus Præsentantis, & agere potest contra omnes suos authores.*
12. *Consultatio quomodo actio instituenda si omnes in litteris Cambii comprehensi fellerent.*

1. Præ-

1 PRæsentans, ut præcedenti Capite explicuimus, condictionem habet, tam capitalis, quam damni & interesse, dummodo ea sint liquida, hancque condictionem instituere potest, contra omnes in litteris Cambialibus comprehensos, sive quod acceptaverint, sive quod indossaverint, sive quod dederint valutam, & pro solutione caverint, item sive trassaverint ipsi, sive mandatum trassandi dederint; dummodo id probari valeat, hi enim omnes tenentur in solidum, pro capitali, damno & interesse, absque quod beneficio divisionis aut ordinis gaudeant, adeo ut Præsentans optionem habeat, quem ex illis convenire velit, & uno convento ad alios digredi, vel omnes simul persequi possit.

2 Contra Acceptantem agere potest (g) propter acceptationem, quæ est perfecta stipulatio quâ se ad solvendum obligavit; prout expresse disponit *Art.*11. *Tit.*5. *Edict. de Commerc.*

3 Trassans (h) cum Acceptante etiam post acceptationem, si Acceptans non solvat, & patiatur elevari protestum ob denegatam solutionem, tenetur in solidum.

Remittens & qui valutam pro indossamentis (i) dederunt, dubium non est, quin obligati sint, quia per eos litteræ ad Præsentantem pervenerunt, & tum demum liberantur, si litteræ Cambii plene solutæ sunt, sin secus tenentur tanquam Fidejussores, cujus ratio est, quia qui suo nomine dat valutam, fit Dominus litterarum Cambii, & ijs quibus mandat solutionem fieri solvi, non aliter fiunt illarum Proprietarii, quam ipso mediante sicut explicitum est *Cap.* 8. 4

Hinc est quod mandatarii, qui nolunt esse Fidejussores litterarum, quas ad alterius computum accipiunt, soliciti sint, ut declaretur valuta accepta ab eo, pro cujus computu eam solvunt. 5

Dici quidem posset Remittentis Appellatione Indossantes quoque contineri; [k] verum, quia contra hos Præsentans habet actionem directam & in *Art.* 12. & 10. *Tit.* 5. *Edict. de Commerc.* expresse fundatam, superfluum 6

(g) Ex acceptatione oritur obligatio, quia perinde est, ac si se solemni stipulatione obstrinxisset. Rot. Genuens. *decis.*14. *n.* 9.

(h) Scribens litteras Cambii tenetur in solidum cum eo, cui sunt scriptæ, etiam post acceptationem. Rot. Genuens. *decis.*2. *n.* 41.

Acceptante litteras Cambium non solvente, factâque protestatione, licitum esse Præsentatori litterarum regredi adversùs scriptorem. Rot. Genuens. *decis.*8. *n.* 19.

(i) Remittentes tum demum liberari, cum litteræ Cambii effectum sortiuntur & secuta sit solutio. Rota Genuens. *decis.*2. *n.* 10.

(k) *Les Porteurs pourront aussi par la permission du Juge saisir les effets de ceux, qui auront endossé ou tiré les Lettres, encore qu' elles ayent eté acceptées &c.* Art. 12.

Ceux qui auront tiré ou endossé les lettres, seront poursuivis en garantie &c. Art. 13. Tit. 5. de l'Edit. de Commerc.

fluum est actionem utilem ex comparatione & similitudine inducere.

7 Licet autem vis istius Edicti extra Regni limites se non extendat, idem tamen Jus observatur ubique, quia æquitati & legibus (l) conforme est, praxique Rotæ Genuensis, cujus in materia Mercantili non levis est authoritas, non discordat: Et sane quia Præsentans non aliter accipit litteras Cambii, etiamsi in solutionem valutæ dentur, quam spe secuturæ solutionis, justissimum est, eum, si solutio non sequatur, habere regressum adversus illum, à quo litteras accepit, foretque injustum, damno Præsentantis Indossantem ditari.

Si in litteris Cambii dicatur & ponas (m) ad computum N, cujus mandato probari potest, litteras esse tractas, uti superius dictum: & litteræ fuerint protestatæ ob denegatam solutionem, posset Præsentans contra mandantem, tanquam causam quod litteræ tractæ sint, valide agere.

Veruntamen, si in litteris Cambii nihil exprimatur, Præsentans contra eum, pro cujus computu litteræ tractæ sunt, etiamsi de ejus mandato constet, nihil quidquam intentare posset, nisi forte Trassantis, qui illum pro cujus computu cambium fecit, obligatum habet, Jure & actione uti vellet, quod tamen non posset, nisi actio ista fuerit ei cessa, aut Trassans prævie excussus, & tamen hoc casu is, pro cujus computu litteræ trassatæ sunt, omnes exceptiones obmovere posset, quæ ipsi Trassanti competerent.

Indossantes excipere non possunt, se ordines non pro computu proprio, sed ad mandatum & pro computu alterius scripsisse: In hac enim materia regressus, respicitur tantum ad tenorem litterarum Cambii, & juxta eum judicatur, uti decisum est, per Arrestum Parlamenti Parisiensis de 21. Aprilis 1676. in causa Rollandi & Gasparini, contra N. & N. Riggioly. 8

Qua in causa factum erat sequens. Josephus Marisius Barcelonensis in Majo 1671. N. Epistolâ mandavit N.N. Riggioly, ut quasdam pecunias, quas ordinavit eis Marsiliâ transmitti, pro suo mandantis computu reciperent, easque per litteras de ordine ipsius mandantis solvendas mitterent Ambsterdamum. 9

N. & N. Riggioly sumunt duas litteras Cambii Mense Junio ab N. & N. Sollicoffre de summa 2000. Dalerorum, solvendas Amsterdami, per Joannem Froment, de ordine ipsorum Riggioly, ad duos usus, valutâ ab ipsis.

Pro

(l) Litterarum Auxenonis contemplatione, quas ad Aristonem de numeranda tibi pecunia dederat, recepisse te debitum ab Aristone, mandato non impleto, cum petitio debiti maneat integra, nihil legitimam exactionem impedire potest. *L. 23. C. de solut.*

Ita demum sunt ab obligatione dissoluti, si littera effectum habuerit. Rota Genuens. *decis. 2. n. 10*

(m) Si litteras ejus secutus qui pecuniæ actor fuerit ei, qui tibi litteras tradidit, pecunias credidisti, tam condictio adversus eum, qui à te mutuam sumpsit pecuniam, quam adversus eum, cujus mandatum secutus es, mandati actio tibi competit. *L. 7. C. Mandat.*

Pro Executione mandati N. & N. Riggioly indossarunt Litteras in favorē Joannis Marisii, & hic indossavit easdem in commodum Parenzi & Bandinuchi

Litteræ fuerunt acceptatæ quidem, sed dilatione duorum usuum pendente, Johannis Froment Acceptans, & N. & N. Sollicoffre Trassantes decoxerunt, quapropter super litteris elevatum est protestum ob denegatam solutionem 17. Augusti 1672. & vigore ejus Marisius actionem instituit coram Judicibus conservatoribus Lugduni, Causâ autem ad audientiam vocatâ sententia lata est in favorem N. & N. Riggioly sustinentium se accepisse Litteras tanquam nudi Mandatarii

Verum appellatione interpositâ, Marisius actionem cessit Rollando & Gasparino, qui allegabant N. N. Riggioly esse fidejussores pro Litteris hisce Cambialibus, cum omni damno & Interesse; tum quod dando valutam ex proprio ære facti essent proprietarii Litterarum, tùm etiam, quod indossando ordinem facti essent cessionarii, ob quod tenerentur ad indemnisationem; porro mandatum recipiendi & mittendi pecunias Ambsterdamum ipsis à Marisio datum non voluisse, ut facerent declarare valutam ab ipsis acceptam, & minus ut facerent litteras sibimet ipsis solvendas; sed actus istos esse tales, quibus se constituerunt proprietarios Cambii; Et licet obmovere velint se hisce litteris usos fuisse pro Executione mandati, hoc tamen eos non liberare à fidejussione, quâ se eo ipso onerarunt quod cum alio & alio modo quam in mandato expressum erat negotiaverunt; tandem post longam & satis difficilem disceptationem, publicatum 21. Aprilis 1676. Arrestum Referentibus D. Canaye & D. de Novion Præside, quo sententia reformata est & N. & N. Riggioly condemnati sunt ad solvendum Rollando & Gasparino cessionariis Marisii bis mille Daleros, in Litteris Cambialibus contentos, una cum Interesse usque ad realem solutionem.

10 Observandum tamen est, quod, Si is, â quo valuta declaratur, negaret se eam dedisse vel Litteras ad Præsentantem misisse, hæcque omnia absque scitu & consensu suo facta esse diceret, uti in facto contigit inter philippum Martini & Henricum Barcholdum ubi, sicut dictum est Cap. 13. Jacobus Vas Hamburgensis in litteris Cambii in Philippum Martini tractis declaraverat, se valutam recepisse à Bernardo Guisio, cui tamen de eo nihil quidquam constabat, quod tali casu conventus, tanquam dator valutæ ad indemnisandum simplici diffessione se tueri posset, adeo ut nisi datio valutæ, aut consensus in transmissionem litterarum probaretur, absolvendus esset.

11 Si quis Indossatorum vel eorum, qui dederunt valutam pro aliquo ordine, solvat Præsentanti Litteras ob denegatam solutionem protestatas; Intrat in omne jus Præsentantis, contra Trassantem, Acceptantem, Indossantes & qui dederunt valutam pro ordinibus anterioribus, in summa, contra quoscun-

que suos authores, uti expositum est supra Cap. 9.

12 Quod ex litteris Cambii acceptantis & ob denegatam solutionem potestatis detur actio in solidum contra Acceptantem Trassantem & Indossantes quamdiu eorum aliquis solvendo est universaliter receptum & extra omnem controversiam est; verum quid si jam nominati omnes fefellerint vel aufugiendo aut petendo inducias & remissionem partis summæ debitæ & cum curatoribus bonorum agendum sit? Sunt qui putant Præsentantem contra omnes Curatores, & contra bona omnium debitorum in solidum agere non posse, sed posse & debere unum ex illis, nempe vel Acceptantem, vel Trassantem, vel Indossantem eligere, eumque solvendo partem debiti, cum majori parte creditorum conventam acquirere Jus litterarum Cambii, quod exercere possit adversus unum eorum, contra quos habet regressum & sic consequenter, porro reliquos per Præsentantem non electos, respectu ejusdem plene liberari, uti etiam non electos ab electo Præsentantis liberari respectu ipsius, & ita deinceps.

Econtra vero alii autumant Præsentantem, cum debitores suos, scilicet Acceptantem, Trassantem & Indossantem semel habeat obligatos in solidum, posse actiones suas exercere contra singulos, proportionaliter ad plenariam solutionem usque, nec ab aliquo Curatorum bonorum, aut creditorum impediri posse

Binas hasce opiniones sibi invicem tam contrarias ejus notæ esse credidi, ut fundum penitius perscrutari operæ pretium sit, itaque habito prius discursu cum omnibus familiaribus, & penes quos optimum rei intellectum existere judicavi, quæstionem hanc ex intimis principiis, quantum ingenii vires largiuntur, discutere mihi proposui, & ne quid sine justo ordine fiat, ponam imprimis facti speciem, super qua Consultatio instituenda est, cum omnibus Circumstantiis, quas fingere & excogitare potui, quasque alii suggesserunt, deinde rationes omnes, quas utriusque opinionis assertores proposuerunt referam, & demum singulas ad trutinam æquitatis legum & ordinationum exacte ponderabo; quia autem Philautia, nimiaque in se ipsum fiducia hominum mentes haud raro corrumpit, hinc pariter & ego, hoc ipsum de me timens Clarissimum Dominum Joannem Baptistam Perrinum Advocatum Celeberrimum, meique amantissimum, ut laboribus meis suos adjungeret consultationique ad finem perductæ una mecum subscriberet rogavi, quod & lubens annuit prout consultatio paulo infra hic inseritur.

Verum cum ab aliquibus illorum, qui Præsentantem ad Electionē astringunt relatum sit, Dominum de Fourcroy in simili facti specie aliquando consuluisse & censere Electionem esse necessariam, hinc considerans quemvis tantum super propositis respondere posse, ejus quoque censuræ Consultationem hanc subjiciendam

dam putavi, & quamvis super toto opere sententiam suam dare occupationes non paterentur, contentus tamen fui quod censeret Præsentantem ad eligendum de Jure præcise non teneri, uti ex ejus consultatione annexa videbimus, hic enim punctus est, in quo totius controversiæ cardo vertitur.

Non leves quoque causæ, quas recensere studiose omitto moverunt ne Domini Chuppei sententiam, requirere negligerem, tantamque Vir laudatissimus hac in materia voluptatem habuit, ut de ea mecum disputando integras horas, cum maxima delectatione frequenter impenderet, Intellecto autem fine in quem Consultationem hanc facere decreverim, cum applausu laudavit propositum, & gratificandi vix modum tenere potuit.

Præsentantes itaque litterarum Cambii acceptatarum, quarum Debitores omnes fefellerunt, Jus suum explanatum modumque id obtinendi præscriptum in hac consultatione invenient, adeo, ut Creditores fallitorum eligendi necessitatem eis imponere volentes, non aliter obtinere possint, quam si nova, & æquitati magis conformia argumenta producant, quod qui præstiterit erit mihi magnus Apollo.

SPECIES FACTI.

Amsterdami 15. Febr. 1688. *pro daleris* 4000.

MAGNIFICE &c.

Ad duos usus, placeat per hasce primas litteras Cambii solvere de ordine Sebastiani Parisiensis summam quatuor mille Dalerorum, pro valutâ in computu, & referre ad rationes nostras sicut in spacchiis, Vale

Jacobo Rodovanum. — *Officios. Bartholomaus*

Acceptata Rodovani prima Martij 1688.

Jacobus

Et loco mei placeat summam alterâ parte contentam solvere de ordine Thomæ pro valuta in paratis acceptâ ab ipso.

Parisiis 10. *Martij* 1688.

Sebastianus.

Ante diem solutionis debitores nempe *Bartholomaus Trassans Jacobus Acceptans. Sebastianus Indossans.* omnes decoxerunt, & unusquisque eorum cum suis creditoribus authoritate curatorum bonorum separatim, de remittenda parte debiti pactus est.

Thomas impetravit Arresta super bonis omnium nominatorum, Trassantis, Acceptantis & Indossantis, quo facto Curatores bonorum Bartholomæi Trassantis faciunt citari Thomam Amsterdamum, ad videndum cassari Arresta, nec non ad ratificandum pacta cum majori parte creditorum inita, con-

consentiendum in terminos & remissionem per ipsos data, extradendum vel producendum litteras Cambii; in summa ad se intromittendum in concursum creditorum.

Curator bonorum Jacobi Acceptantis citari faciunt eundem Thomam ad Judicium Consulare Rodovaniense, pariter ad ratificandum eorum contractum.

Et Curatores bonorum Sebastiani Indossantis pariter ad eundem effectum citant ad Parlamentum Parisiense.

Thomas comparando Curatoribus bonorum Bartholomæi respondit, se ad ratificandum eorum pacta non teneri, nam cum ipsum Bartholomæum Trassantem æque, ac Jacobum Acceptantem & Sebastianum Indossantem obligatos habeat in solidum, non posse constringi ad consentiendum pure & simpliciter in terminos & remissiones factas, nec intendere debitores suos separare, aut actionem dividere, quà ipsi liberum est, cujusque debitoris bona capere usque ad plenariam solutionem summæ Capitalis, Interesse expensarum & damni, sibi ob solutionem litterarum Cambii suâ die non factam debitorum.

Eodem tempore denuntiavit Curatoribus bonorum Jacobi & Sebastiani Citationem & oppositiones per Curatores Bartholomæi sibi factas, ut Interesse suum observare, ipsique de toto debito tempestive satisfacere valerent.

Econtra vero Curatores bonorum contendebant Thomam obligari ad intrandum in eorum pacta, nec posse contra Trassantem, Acceptantem & Indossantem agere in solidum, sed tantum eligere unum ex omnibus à quo consequatur solutionem, juxta proportionem remissionis, hoc est, posse eligere unum ex suis debitoribus, in cujus pacta intrare velit.

Unde formatur Quæstio.

An Thomas possit intrare omnium Curatorum pacta simul, nimirum Trassantis, Acceptantis & Indossantis.

Fundamenta in quibus Curatores bonorum se fundant, in diversis propositionibus consistunt.

Prima est, quod neque ordinationes statuant, nec usus observet, nec etiam ratio dictet Trassantem, Indossantem & Acceptantem ex litteris Cambii obligari in solidum, ita enim practicatur, ut si super litteris Cambii contingat elevari protestum, Præsentans regressum sumat adversus eum, qui in favorem illius indossavit; & si reperiantur à pluribus indossatæ, contra eum tantum qui ultimus indossavit, hicque contra penultimum, & sic deinceps donec deveniatur ad Trassantem; uti *Art.* 11. 12. 13. 14. 15. 16. & 17. *Tit. des lettres de Change Edict. de Commerce* decidunt; & si in citatis Articulis permittatur arrestare bona Trassantium, Indossatorum & Acceptantium, eosque sive quà principales debitores sive quà fidejussores pro omni causa persequi, hoc tamen ad hunc casum minime applicandum, sed tantum intelligendum sit, si debitores isti omnes solven-

solvendo sint, & non fefellerint; quia enim inter eos intercedit tantum aliqua fidejussio respectiva, non licet eos convenire, ac si unus pro omnibus obligaretur in solidum, sine beneficio divisionis aut ordinis, sed quilibet persequi debet suum fidejussorem successivè.

Secunda Propositio Contradictorum est, Bonum commune præferendum esse bono particulari; sed si liceret Præsentanti arrestare bona omnium fallitorum debitorum, caperet in effectu triplum sui debiti, quod tenderet in maximum præjudicium causæ communis Creditorum.

Tertia Propositio est, quod Creditores Chirographarij de Jure paris sint conditionis, & omnes æqualiter remittere debeant; sed si Præsentans litterarum Cambii, qui pariter est Chirographarius, in omnibus debitorum concursibus participaret, ejus conditio melior esset, quàm reliquo- Creditorum.

Quarta Propositio est, quod Præsentans omnibus pactis, Indossantis Acceptantis & Trasantis subscribens plura absurda committat; quod concedendum ei non est.

EXEMPLUM.

Præsentans, pactis Indossantis, quibus remissâ medietate debiti promittit reliquam medietatem certo termino solvere, subscripsit tanquam Creditor duodecim mille Librarum, quæ ei debebantur ex Cambio; post duos menses ex ejusdem Præsentantis mandato, pacta Trasantis pariter subscripta sunt pro eodem toto credito Cambiali duodecim mille Librarum, cum simili termino & remissione medietatis, & demum duobus mensibus post, ex mandato ejus subscribitur pactis Acceprantis, pro toto credito Cambiali duodecim mille Librarum sub iisdem conditionibus remissionis & termini.

Indossans sustinens subscriptionem Pactorum suorum per Præsentantem, respectu totius crediti Cambialis duodecim mille Librarum sine reservatione factam, habere vim & effectum cessionis, seque ejus vigore reintrare in omne Jus, quod habuit ante suam indossationem; volebat hoc Jure cesso uti, & subscribere pacta Acceptantis, & Trasantis, & sic cum horum creditoribus participare, cui tamen uterque se opposuit, dicendo, quod cum Præsentans omne Jus suum habeat ab Indossante vigore ordinis, non noverint & noscant alium Creditorem quam ipsum Præsentantem, cum quo totum negotium jam tum terminatum esset, & quod non possint easdem litteras duobus debere.

Acceptans quia provisionem, unde Cambium solveret, non acceperat, nec Trasantis debitor fuerat, & ideo ratione acceptationis factæ, propter quam Præsentantem ad pacta sua admittere debuit, & per quã vicissim Jus Cambiale contra Trasantem acquisivit, indemnitatem quærens, contendebat se in pacta Trasantis admitti debere, sed

hoc ei pariter denegatum fuit, ob rationem supra positam, quam non tantum Trassans, sed etiam ipse pro sua defensione proposuit, ut ideo nihil justius fuerit, quam ut eam quoque contra se valere pateretur.

Quo in facto plura deprahenduntur absurda.

Primum, quod Præsentans cum ex singulis pactis, quæ subscripsit accipiat medietatem duodecim millium librarum, istiusmodi medietatem obtineret ter, & sic 18000. libras; cum tamen sit Creditor tantum 12000. librarum.

Secundum absurdum est, quod si Præsentans intrare posset in omnium pacta pro tota summa, remissio ejus Indossanti & Acceptanti facta nullum haberet effectum, quia enim quilibet debitorum integram summam non nisi semel debet, Indossans & Acceptans statim postquam Præsentans super hac integrâ summâ pactus est, excluderentur, nec indemnitatem habere possent.

Tertium absurdum est, quod si admitteretur Præsentantem posse intrare in omnium contractus, admitteretur crimen stellionatus, quod committit Præsentans quoties post subscriptionem pactorum Indossantis, alia pacta etiam subscribit.

Quinta Propositio Contradictorum est, quod ratio, quare Præsentans debeat eligere unum solum ex debitoribus, sit, quia contra Indossantem non potest agere, quam ad indemnitatem ex causa fidejussionis, & cum onere cedendarum actionum, seu Litterarum Cambii, unde sequitur, quod subscripto pacto Indossantis, pacta Acceptantis, cujus obligatio ab Indossante provenit, aliter quam cum consensu ejusdem Indossantis, subscribere non possit, nec possit subscribere pacta Trassantis, sine consensu utriusque Indossantis & Acceptantis, qui contra ipsum regressum habent; quod si autem cum consensu subscribat, regressum contra dictos Indossantem & Acceptantem perdit, & per consequens verum est dicere, quod habeat tantum jus eligendi unum ex tribus debitoribus, cujus pacta subscribere velit, quia ex una parte debet actiones & litteras Cambiales cedere, ex altera parte, qui a subscribendo cum aliorum consensu perdit regressum.

Sexta Propositio est, quod necessitas eligendi unum ex debitoribus litterarum Cambii, non tantum in Gallia, sed & in Anglia, Flandria & Hollandia, generali usu, qui pro lege observetur, & sit recepta.

Septima Propositio est, quod pluribus sententiis & Arrestis, quæ pariter vim legis obtinent, judicatum sit, Præsentantem ultra Electionem unius ex debitoribus litterarum Cambii, nihil quidquam prætendere posse.

Ex parte Thomæ sustinebatur econtra, præposita fundamenta & Propositiones, nullius considerationis esse: id quod demonstratu perfacile est; si singulis ordine respondeatur.

Quantum ad *Primam*, quæ agit de actione Præsentanti contra Trassantem,

tem, Acceptantem & Indossantem competente, ad cognoscendum an ea in solidum sit vel non, ante omnia videndum est, quid verbis istis *Actio in solidum*, intelligatur, quo prævio in propatulo erit, actionem de qua agitur, omnes proprietates actionis in solidum habere.

Actio in solidum nihil aliud est, quam Jus persequendi quemlibet ex pluribus ejusdem rei debitoribus, pro solutione totius rei debitæ, adeo ut si unus vel plures totum debitum solvant, liberentur omnes, donec autem totum debitum non fuerit solutum, omnes maneant obligati.

Actio in solidum duplici ratione sic dicitur, primo, respectu creditoris, cujus solius utilitatem respicit; quia quemlibet convenit in solidum, respectu vero debitorum est dividua inter eos, nisi intercesserit actus, quo unus aut plures se solos obligant aut indemnitatem promittunt reliquis. Secundo dicitur in solidum respectu debitorum sibi invicem obligatorum, contra quos gradatim exercetur, usque dum totum, quod debetur solutum sit.

Talis est actio quæ oritur ex Tracta, acceptatione & indossatione litterarum Cambii, eodem modo quo illa, quæ oritur ex prima, secunda & ulteriori venditione seu cessione annui reditus; nam ultimus cessionarius agere potest, non tantum contra suum cedentem immediatum, sed etiam utendo ejus Jure contra omnes cedentes anteriores & ipsum debitorem cessum in solidum, idem est de actione quæ oritur ex cessione debitoris qui cedenti, ab alio delegatur, sola differentia est, quod obligatio quæ nascitur ex litteris Cambii sit, quod debeat præstare litteras bonas & debitorem bonum, seu Acceptantem existentem solvendo, non solum tempore Tractæ vel denegatæ acceptationis, sed & omni tempore, dummodo Præsentans diligentiam suam debito tempore fecerit, econtra vero in reditibus, obligationibus, eorumque cessionibus & delegationibus obligatio ista, ejusque tempus dependeat à diversitate stipulationum per contrahentes desuper interpositarum, quales litteris Cambii non interponuntur; quia enim formæ semper fiunt modis qui hoc tractatu proponuntur, in suis Tractis, Acceptationibus & Indossamentis extraneas & arbitrarias stipulationes non admittunt, sed obligatio ad indemnitatem semper est uniformis, & eadem.

Hoc principio posito recte dicitur, quod actio in solidum, in hac Cambiali materia in ordinationibus, usu & ratione fundata sit, contra Trassantem, Acceptantem, & Indossantem: Et quidem quo ad Ordinationes legantur *Articulus* 11. *Tit.* 5. *Edicti de Commerc.* qui statuit, quod facto protesto, is qui acceptavit litteras, à Præsentante conveniri possit, *Art.* 12. permittit Præsentanti arrestare bona Trassantis & Indossantis *Art.* 13. ulterius progreditur, dum statuit, quod Trassantes & Indossantes quà fidejussores ad indemnitatem teneantur

 tur

tur (quod aliter intelligi nequit quam in ſolidum ; quia actio contra Fidejuſſores ſemper in ſolidum eſt, reliqui Articuli ejuſdem tenoris ſunt ; ingensque error eſt ſuſtinere, hoſce Articulos ad caſum fallisſamenti & decoctionis applicari non poſse , ſed tantum obtinere quando Traſſans, Acceptans & Indoſſans omnes in foro manent & ſolvendo ſunt ; nam horum Articulorum diſpoſitio generalis eſt, & non diſtinguit ſtatum Traſsantis &c. ut propterea juxta vulgatum Juris Theorema & nos diſtinguere non debeamus ; tanto minus quod fallisſamentum Traſſantis, Acceptantis & Indoſſantis ſtatum & naturam litterarum cambii & inde naſcentis actionis alterare non valeat, adeo ut firmiter tenendum ſit, actionem Præſentantis in ſolidum , contra Traſſantem , Acceptantem & Indoſsantem eſſe conformem Edicto de Commerciis.

Similiter conformis eſt uſui , quia oritur ex obligatione omnium debitorum , & probatur , nam creditores fallitorum in eo conveniunt quod in caſum proteſti, Præſentans regrediatur contra ſuum Indoſſantem, & ſi indoſſamenta plura ſint , tam contra omnes Indoſſantes, quam contra Traſſantem & Acceptantem. Quod ſi dici velit, hoc fieri utendo Jure ultimi & priorum Indoſſantium ſucceſſive, recte replicatur, tantum abeſſe, quod per id qualitas actionis in ſolidum deſtruatur, ut potius confirmetur , tum quod per hoc actio nequaquam dividatur ; Præſentans enim progrediendo de uno ad alium totum petit, quod ſibi ex litteris Cambii debetur, partim etiam, quod licet utatur Jure ſui Indoſſantis, id tamen non Indoſſantis nomine fiat, neque propterea ab actione contra ipſum excludatur, ſed faciat nomine & Jure proprio, habens regreſſum fundatum contra ipſum Indoſſantem, tanquam Fidejuſſorem , quem ſemper inſtituere poteſt , abſque prævia alterius cujuſcunque excuſſione.

Tandem actio in ſolidum in ipſa ratione fundatur , nam imprimis nihil magis rationi convenit , quam Traſſantem curare, ut litteræ Cambii, quarum valutam recepit , plenarium effectum , unà cum intereſſe & damno conſequantur ; licet præter ipſum & alii quoque obligentur. Si igitur ad hoc teneatur poterit compelli in ſolidum ; deinde juſtum quoque eſt, Indoſſantem curare ut litteræ quas vendidit ſeu ceſſit eundem plenarium effectum habeant; quia de earum bonitate reſpondere debet uſque ad ſolutionem actualiter factam, & cum ad hoc teneatur ; licet & alii præter ipſum obligati ſint, conſequens eſt, quod teneatur in ſolidum , & demum ratio dictat ut etiam Acceptans obligationem, quâ ſe ad ſolendum litteras Cambii obſtrixit , plene adimpleat, & quia id obtinet, licet alii quoque ad hoc teneantur, & ipſe debitor originarius non ſit , conſequens eſt, ut contra ipſum agi poſſit in ſolidum ; Itaque cum per partium enumerationem oſtenſum ſit , omnes teneri ad con-

contractum Cambialem plene implendum, sequitur Præsentantem ad optandum unum, in cujus solius concursum se intromittere & cum creditoribus participare velit, reliquosque debitores liberandum, nullo modo teneri.

Ad secundam propositionem Contradictorum, quod nempe bonum commune præferendum sit bono particulari, respondetur in applicatione istius Theorematis non minus, quam in ipso facto turpiter errari. In applicatione, quia prælatio ista aliter locum non capit, quam ubi in periculo navis, vel incendio jactantur merces particulares vel aliquæ ædes demoliuntur ad salvandum reliquas, vel ubi ob bonum publicum V. G. Ex causa Religionis, ad constructionem Ecclesiæ, vel collegii, ad extensionem Cæmiterii, Platearum, Viarum, ad fortificationem civitatis & id genus alia opera publica, domus privato aufertur, vel ubi in casum caritatis & pænuriæ, publicæ Mercatores frumentorum aliarumque rerum ad victum necessariarum, & iis apud quos res istæ in copia reperiuntur, à Magistratu coguntur ad vendendum eas statuto pretio, verum in casu, quo inter privatos agitur, Justitia postulat, ut si quid à privato capitur, is servetur indemnis & ei solvatur pretium illius, quod ab ipso captum est; itaque & applicando hoc Theorema ad factum Præsentantis litterarum Cambii, quarum Acceptans, Indossans & Trassans fefellerunt, si velimus ipsum ad electionem constringere, eique actionem in solidum contra omnes sub prætextu boni communis adimere; conveniens tamē erit eundem servare indemnem; quia nulla lex nec ratio æquitatis patitur, compelli privatum ad demittendum Jus suum alteri, nisi servetur indemnis; nec verum est, si dicatur arresta, quæ Præsentans contra omnium debitorum suorum bona impetrare posset, fieri in damnum reliquorum creditorum, nam Arresta fiunt vel ante distributionem, & tantum abest ut Creditoribus noceant, quin potius prosint, ut quisque suum consequatur, quia certum est inclusionem bonorum falliti omnibus creditoribus generaliter prodesse; vel fiunt in ipsa distributione, & evidens est, Præsentantem litterarum Cambii non posse plus accipere, quam sibi debetur, quia in prima distributione officium solventis est, ut curet sibi quietantiam dari, super eo, quod solvitur, ex quà deinde in reliquis distributionibus apparet, quid & quantum super litteris Cambii solutum fuerit, quantumque adhuc solvendum restet.

Quoad tertiam Propositionem, quod ajunt Contradictores, in concursu omnes creditores Chyrographarios æqualiter perdere debere, inde concludentes, Præsentantem litterarum Cambii, quarum Acceptans, Trassans & Indossans simul fefellerunt, debere optare unum eorum, quem convenire velit, ex eo quod alias non perderet tantum quantum reliqui: id generale non est, constat enim

enim , quod Chyrographarii sibi de majori securitate prospicientes, eâ securitate præ aliis gaudeant, & sic tantum non perdant, quantum alii , & quod provisi hypothecâ speciali, in ea Jus præferentiæ habeant, & aliis nihil conferant,

Ad quartam propositionem, quo ad putativas absurditates , si exemplum à Creditoribus Indossantis Acceptantis & Trassantis paulo accuratius examinetur , apparebit quod imprimis absurditates istæ præcaveri facile possint, si Præsentans contra omnes agat judicialiter, idque mediantibus cautelis in processu adhiberi solitis, deinde etiam, quod eædem absurditates proveniant ex sola negligentia partium ; nam Indossans, qui per subscriptionem pactorum suorum à Præsentante factam, cessionem aliquam fieri sustinet, curare debet, ut sibi extradantur litteræ Cambiales, cum juxta communes regulas actiones Cambiales exercere non valeat, nisi doceat de Titulo , ad quod litteræ Cambii essentialiter requiruntur, econtra Præsentans, si animum faciendi cessionem non habet, debet pro omni dubio tollendo , in subscriptione pactorum Indossantis expresse sibi reservare actiones , tam contra Trassantem , quam Acceptantem, idemque faciet in subscriptione pactorum Acceptantis, quo casu omnis absurditas cessat : Unde patet propositas absurditates non provenire ex natura actionis in solidum, sed ex mera culpa & negligentia ipsarum partium, voluntatem suam non satis clare exprimentium ; Et in exemplo proposito, si Præsentans in subscriptione pactorum legitimas reservationes, & econtra Indossans, Acceptans & Trassans unusquisque præcautiones in processu Judiciario adhiberi solitas debite adhibuissent, absurditates nullas ortas fuisse & Præsentantem, etiamsi contra omnes in solidum & ad modum in propositione hac expressum egisset, non tamen octodecim mille libras , sicut in primo absurdo recensetur consecutum fuisse; nam in primo concursu necessario dedisset quietantiam super eo, quod in solutionem Cambii accepit ; nempe super medietate seu 6000. libris, juxta quam quietantiam in secundo concursu non fuisset ei iterum soluta medietas integræ summæ, sed restantis medietatis, & sic tantum 3000. libræ, & vigore hujus ulterioris quietantiæ, accepisset in tertio concursu medietatem ultimi restantis, nempe 1500 libras & per Consequens tantum abesset eum recepisse 18000 mille libras, ut potius recepturus tantum fuisset 10500 libras,

Secundum absurdum pariter non est reperibile ; nam Indossans ante Acceptantem & Trassantem solvens, potest & debet Stipulari restitutionem illius , quod solvit ultra dimidium summæ, quæ ex duodecim mille libris restaret , si Acceptans & Trassans ante ipsum solvissent, idemque Acceptans ante Trassantem solvens stipulari debet ; per quod quilibet debitorum remissionis commodum sentit; nam

nam Trassans, lucratur sex mille libras, quia solvit tantum medietatem totius debiti Cambialis, quod est duodecim mille librarum, Acceptans lucratur novem mille libras, cum enim ex toto Cambio restent, tantum sex mille libræ, non solvit plus quam ejus medietatem scilicet ter mille libras; ex quo non solum notandus est effectus regressus contra Trassantem, sed etiam lucrum ter mille librarum eidem Trassanti ex remissione obveniens, & demum Indossans lucratur decem mille quingentas libras, quia solutis per Trassantem sex mille libris, & per Acceptantem tribus mille libris, ex debito Cambiali restant tantum; ter mille libræ, ex quibus, cum vi pacti remissorij solvat tantum medietatem, hoc est mille quingentas libras; lucratur decem mille & quingentas libras, nempe novem mille libras propter duos regressus anteriores, & mille quingentas libras per pacta remissoria; adeo ut secundum absurdum ex actione in solidum non magis oriatur, quam primum.

Nec tertium prætensum absurdum, quod est crimen Stellionatus, in hac actione in solidum occurrit, quia si contingeret committi, committeretur dolo Præsentantis, eodem modo quo videmus committi in omnibus contractibus, quibus crimen Stellionatus intervenire potest, quemadmodum autem omnium contractuum usum tollere propter crimen Stellionatus quod in iis committi potest, nihil aliud esset, quam vitam civilem omnemque societatem humanam destruere, ita quoque Justitia læderetur, si Præsentantibus litterarum Cambii, in casum quo debitores omnes simul fefellerunt, generaliter adimeretur actio in solidum propterea, quod unus alterve Præsentans crimen Stellionatus commiserit, hoc namque potius absurdum foret, & quidem bono, tam publico, quam privato maxime nocivum.

Porro si Præsentans ad optionem unius constringi vellet, aliud quoque sequeretur absurdum magis nocivum quã prius, quo scilicet idem Præsentans invitabili damno & injustitiæ exponeretur; nam non semper contingit, Indossantem, Acceptantem & Trassantem eodem tempore fallentes, omnes eodem modo, super remittenda medietate, sicuti in supra exemplo nostro suppositum fuit, pacisci, neque etiam pacta fieri sub iisdem terminis aut cum iisdem cautionibus, sæpe videmus unum aliquot annis pacisci ante reliquos, item hunc pacisci de quarta, illum de tertia, alterum de medietate, vel duabus tertiis remittendis. Et iterum pacisci aliquos de solvendo toto, in termino valde extenso; iterum alios nullam omnino dare cautionem, alios non aliam præstare, quam quod uxor unà se obliget, alios vero plenissimam, ulterius in aliorum fallissamentis initio videtur Creditoribus exiguum damnum fore, in aliorum vero vix quidquam sperari potest, tandem, apud alios, qui bona & effectus suos occultarunt fallissamenta meliorem ha-

habent exitum quam Creditores speraverunt, alii vero per secundum fallissamentum pacta sua reddunt illusoria.

Jam ponamus fallisamentum Indossantis Creditoribus dubium, Acceptantis periculosum, Trassantis verò desperatum videri, ponamus insuper Indossantem statim cum suis Creditoribus pactum fuisse de solvendo quartam partem debiti, termino duorum annorum; Præsentantem illius pacta optare in illaque consentire, interim periculum apud Acceptantem paulo post evanescere, eumque cum Creditoribus suis pacisci de unâ tertiâ ejusque medietate primo anno, reliquâ vero medietate secundo anno solvendâ, & Indossantem in hæc pacta intrare: Trassantem detectis effectibus quos occultarat, necessitari ad paciscendum de solvendâ medietate debiti intra annum; tandem Indossantem in termino secundi anni, postquam ab Acceptante ultimam solutionem pactæ tertiæ recepit, & antequam Præsentanti ultimam medietatem quartæ solvit, secunda vice decoquere & nullam amplius emergendi spem adesse; hisce circumstantiis taliter suppositis, sicuti similia fallissamenta non raro videmus; si Præsentans teneretur optare, duplici afficeretur injuria quam neque prævidere, nec evitare potuit.

Prima est, quod etiamsi Indossans bonâ fide ageret, nihilominus tamen solveret tantum unam quartam intra terminum duorum annorum, & ècontra intra eundem terminum reciperet, ab Acceptante unam tertiam & per consequens per optionem à Præsentante factam lucraretur unam duodecimam, & Acceptans unam sextam ex eodem negotio, quo Præsentans tres quartas perderet.

Secunda est, quod privaretur omni securitate & privilegiis litterarum Cambii, imposita nempe ei necessitate cedendi litteras illi, quem optavit, seque per hoc exponendi periculo novi fallissamenti.

Siquidem igitur in eo, quod Præsentans actiones suas contra Indossantem, Acceptantem & Trassantem exerceat in solidum, nihil absurdi contineatur, absurda autem, quæ per subscriptionem Præsentantis, pactis eorum intervenire putantur, propter actionem in solidum facile prævideri & præcaveri valeant.

Econtra vero absurda & injustitiæ quibus per necessitatem optandi damnificatur Præsentans, talia sint, quæ neque prævideri, nec evitari possunt, hinc recta ratio postulat facultatem agendi contra omnes in solidum relinquendam esse Præsentanti & opinionem contrariam, quæ pro usu generali venditari vult, rejiciendum esse.

Quinta propositio contradictorum, quod nempe Præsentans Indossantem convenire non valeat, quam tanquam fidejussorem, & cum onere cedendi litteras Cambii, non est universaliter vera; qui enim agit contra fidejussorem, non tenetur eidem

reli-

reliquas cautiones & pingora à debitore accepta cedere, nisi totum solvat; & licet verum esset, quod insuper agunt, Præsentantem non posse subsignare pacta Acceptantis, Trassantis, & Indossantis anterioris, sine consensu Indossantis posterioris, sub pœna amittendi regressum contra hunc posteriorem, inde tamen inferri haud potest, quod teneatur optare; unicum quod ipsum ad adhibendum istiusmodi consensum nescitat, est conservatio Juris Indossantis, quod per subscriptionem aliorum pactorum imminuitur; ut enim Præsentans contra Indossantem regressum sumere possit, jus litterarum Cambii integrum esse, eique, si totum solvere paratus sit, sine ulla deminutione aut alteratione cedi posse debet, unde fit quod Præsentans, si contractum aliquem vel Acceptantis, vel Trassantis, vel anterioris Indossantis authoritate propria subscripserit, se inadmissibilem reddat ad regressum contra Indossantem posteriorem, eumque tacite absolvsse, & respectu sui optasse videatur. Sed si contra Acceptantem, Trassantem aut Indossantem anteriorem nihil egerit, nisi præviâ denuntiatione & interpellatione Indossantis posterioris, vel cautius agendo, si solutionem non recipiat, nisi cum protestatione præsente, vel saltem legitime citato eodem Indossante posteriore, tunc ejus Jura non diminuit, sed potius defendit, & quo ad omnia conservat, & penes ipsum stat ea omni meliori modo, quo potest, prosequi; quo casu eundem absolvisse, aut quidquam egisse censendus non est, quod optionem inducit.

Sexta propositio, qua Contradictores se in generali usu & consuetudine fundant, nullius considerationis est.

Primo, quia est quæstio facti, an consuetudo ista generaliter & constanter observetur & probari valeat; sicuti enim ex raro contingentibus est, quod Acceptans, Trassans & Indossans simul omnes fallant, ita quoque, si forte casus aliquando contigerit, ostendi tamen non potest, quod Præsentans ad optandum compulsus fuerit, nisi prius unius aut alterius pactis pure, & sine reservatione subscripserit, & cum insuper nemo Arrestographorum hactenus sententiam aliquam super simili negotio latam retulerit, ex cujus circumstantiis consuetudo ista probari possit, & abrogata sint testimonia quæ fiunt per turbas, sic impossibile nunc erit, consuetudinem aliquam per testes probare, consuetudo autem tanquam quid facti probanda est.

Secundo, quod posito etiam consuetudinem hanc observari, supra tamen clare demonstratum sit, eam irrationabilem esse, ex quo singulæ rationes ad eam stabiliendam allegatæ, vel sint infirmæ, vel rationi & æquitati contrariæ, propter absurda quæ generat, absque quod prævideri & evitari valeant

Unde consequitur *Tertio* consuetudinem istam, utcunque etiam uni-

versalis & antiqua esse prætenditur nihilominus tamen, tanquam corruptelam in omni bene constitutâ Rep. abrogandam & proffligandam esse, leges enim, quæ authoritatem consuetudini tribuunt, de rationabili intelligendæ sunt, & irrationabilem damnant.

Septima propositio contradictorum quæ in arrestis & præjudiciis se fundat, vix meretur responsionem; sententiæ enim & arresta, quæ super quæstione hac promulgata esse dicunt, & quibus vim legis tribuere volunt, suppositâ etiam eorum existentia, fidem non habent, cum de ijs publice non constet, notum autem sit, ea tantum arresta vim legis obtinere, quæ specialem clausulam insertam habent, ut publicari & ad prothocollum registrari debeant, & realiter publicata & registrata sunt, reliqua vero, tanquam inter privatos data, extra partes litigantes, juxta vulgatum actioma, res inter alios acta aliis non præjudicat, parvi effectus esse, nec sine ratione, quia facto potius partium, quam judicis, scilicet dolo, technis, præcipitantiâ, defectu sufficientis deductionis juris & facti plerumque contingit, judicem pronuntiare, antequam de statu controversiæ probe informatus sit, hinc etiam est, quod non exemplis, sed legibus judicandum esse jura statuant, præsertim si exempla legibus non concordent, ut forent ea, in quibus Præsentans, in casu quo Acceptans, Trassans & Indossans omnes fefellerunt, coactus esset optare unum ex illis, â quo solutionem exigat, & reliquos demittere,

Hisce rationibus pro utraque parte sic positis consulendo petitur resolutio quæstionis, An scilicet Præsentans præcise teneatur optare unum de tribus, Trassantem, Acceptantem, vel Indossantem, una cum responsione ad singulas propositiones earumque refutatione.

Nos infra scripti, super præmissis consulti, viso Memoriali, præsupponentes factum cum suis circumstantiis narrato modo se habere, censemus Primò, Thomam Præsentantem litterarum Cambii de quatuor mille daleris à Bartholomæo Ambsterdamo, in Jacobum Rodovanensem tractarum, Sebastiano Parisiensi solvendarum, ab hoc vero in favorem dicti Thomæ Indossatarum, & tandem ob defectum solutionis protestatarum, posse participare cum creditoribus Bartholomæi, Jacobi, & Sebastiani, tam pro summa Capitali, quam interesse & damno, per protestum causatis, & in tali participatione, neque per reliquos creditores impediri, neque per aliquem ex debitoribus repelli, neque etiam ad optandum & eligendum unum solum ex illis, actionibusque contra reliquos competentibus renuntiandum constringi de Jure posse, dummodo tamen justo tempore & protestum elevaverit, & regressum adversus quemlibet debitorem instituerit, nullaque pacta inierit, vel actum fecerit Juri eorum præjudici-

dicialem, idque fallissamento omnium trium non obstante.

Primò, quia omnis Trassans litterarum Cambii est, & manet Fidejussor usque ad actualem solutionem litterarum, damni & interesse; non obstante quod litteræ fuerint acceptatæ. Rota Genuens. *Decis.* 1. *num.* 6. *per l.* 23. *C. de solut. & num.* 21. *& num.* 28. *Decis.* 2. *num.* 10. *&* 41. *Decis.* 4. *n.* 7. *Decis.* 8. *num.* 18. *&* 19. Scacc. *de Commerc. & Camb.* §. 2. *gloss.* 5. *quæst.* 10. *num.* 322. ubi plures decisiones Rotæ Romanæ allegat, *& Edict. de Commerc. de Mense Martij* 1673. *Tit. de Lettres de Change Art.* 12.

Secundò, quia Acceptans directe tenetur ad plenariam solutionem litterarum, propter voluntariam obligationem, quam per acceptationem suam contraxit, nec Protestum propter denegationem solutionis, elevatum, eum liberat, si denegatio facta fuerit propter non acceptam provisionem, *l.* 1. *C. de Constit. pecun.* Scacc. *loc. cit. num.* 327. Quin potius denegatio ista causam dans protesti, eum fortius ad damnum & interesse obligat. Rota Gen. *Decis.* 104. *n.* 9. ad hæc *Edict. de Commerc. eod. Tit. Art.* 11. permittit expresse, Acceptantem convenire: Unde sequitur, eum debitorem esse sine Exceptione.

Tertiò, quia omnes Indossantes sunt Fidejussores litterarum Cambii, Indossatio quippe est species mandati respectu Acceptantis, & cessio & remissa respectu Præsentantis, *Mandato autem non impleto, cum petitio debiti maneat integra, nihil legitimam ex actionem impedire potest. l.* 23. *C. de solution.* & Rota Genuens. ex hac lege concludit, ergo debitores non liberantur, licet remissam fecerint, quia ita demum liberantur, si litteræ effectum habuerint. *Decis* 2. *num.* 10. & *Edict. de Commerc. articulis supra cit. & specialiter Art.* 13. statuit, Indossantes ad indemnitatem præstandam conveniri posse. Similiter judicatum est, quod licet Indossamenta ex mandato alterius facta, & Indossantes Proprietarii litterarum nunquam fuerint, nihilominus tamen propter Indossamenta, queis alios sui loco substituunt teneantur ex Fidejussione. *Arrest. du* 21. *April.* 1676. In causa D.D. Rollandi & Gasparini Præsentantium litterarum Cambii, ob defectum solutionis protestatarum ex una, contra D.D. Riggiolii Indossantes, N.N. Sollicoffres Trassantes, & Joannem Froment Acceptantem, omnes fallitos.

Quartò, quamvis ad decisionem quæstionis sufficiat, quod omnes debitores Cambii, ad integram summam solvendam indifferenter teneantur, & quæstio de nomine tantum sit, an actio contra ipsos competens, & quæ durat & intentari potest ad plenariam usque solutionem totius debiti Cambialis, damni & interesse uti supra probatum est, dicatur in solidum, nec ne; nihilominus tamen, observandum est, nomen actionis in solidum ei nunquam detrahi, *Scribens litteras Cambii tenetur in solidum cum eo, cui sunt scrip-*

scripta, etiam post acceptationem, Rota Genuens. *Decis.* 2. *n.* 41. per rationem *quod solidum sit, quod omnibus suis partibus constat, cui nihil est detractum*; juxta rectam definitionem verbi, quod obmoveri potest, obligationem in solidum in casum elevati Protesti ob defectum solutionis, nasci tantum inter Præsentantem, & ejus Indossantem, & quod contra reliquos obligatos Præsentans agere non possit jure proprio, sed utendo jure dicti sui Indossantis, per hoc actio in solidum non destruitur, sed adhuc fortius evincitur, partim quia Præsentans, incipiens agere contra unum solum, petit ipsum condemnari ad solvendum totum debitum, unà cum damno & interesse; quo solo satis probatur, actionem esse in solidum, nam alias conclusio ad totum debitum cum interesse & damno fieri non posset, cum hic sit effectus actionis in solidum, conclusio enim ultra naturam intentatæ actionis se extendere non potest; partim etiam, quia elevato protestu super litteris Cambialibus, ob defectum solutionis, Acceptans est principalis debitor, cum igitur Præsentans agere incipiat contra Indossantem, qui merus Fidejussor est, agit eodem modo, quo agitur contra Fidejussores obligatos in solidum, quo casu beneficium Excussionis seu ordinis non competit, sed convenitur unus ex correis, quem actor eligit, cum facultate revertendi ad reliquos, juxta *l.* 23. & 28. *C. de Fidejuss.* & quamvis Præsentans revertendo contra anteriores Indossantes, Trassantem & Acceptantem prosequatur Jus ultimi Indossantis: hoc tamen non fit nomine hujus ultimi Indossantis, sed proprio & ex causa pleni dominii litterarum Cambii, prout confirmatur *Art.* 15. *eod. Tit. Edict. de Commerc.* ubi Præsentans, in casum non adhibitæ debitæ diligentiæ excluditur ab actione contra Trassantem & Indossantem; unde sequitur, quod si debitam diligentiam adhibuerit, cum effectu contra utrumque agere valeat, quod supponit plenum Dominum ipsatum litterarum, tantùm igitur abest actionem in solidum propterea destrui, quod Præsentans ab Indossante ad reliquos revertatur; quin potius per hoc corroboretur, nec *Articuli* 11. 12. 13. 14. 15. 16. & 17. eam destruunt; sed econtra ex earum dispositionibus elucent principales effectus & proprietates ejus, quod nempe permittant arrestare omnium debitorum bona, relinquant Præsentanti libertatem inchoandi suas actiones, vel contra Acceptantem, vel Trassantem vel Indossantem, vel etiam contra omnes simul & eodem tempore, quæ omnia propria sunt actionis in solidum, & quoniam citati *Articuli* generales sunt, & ideo distinctio proposita, quod nempe obtinent tantum, quando debitores solvendo existunt, non autem quando fefellerunt, generali dispositioni plane non convenit, sed generalia generaliter accipienda sunt. Godof. *in l.* 1. *ff. de Legat. præst.*

Quintò non oportet ex Fidejussione

ne simplici, quâ Indossantes & Trassantes obligantur, qualificatam & conditionatam facere, nam quod veri & formales fidejussores sint, pro valore & solutione litterarum Cambii sine beneficio Excussionis & ordinis, authoritates & Jura supra allegata probant, nam juxta ea quæ dicta sunt, Trassans & Indossans obligati remanent, usque ad solutionem actualiter & plene factam & *Articuli 15. & 16. Tit. des Lettres de Change Edict. de Commerc.* omnem difficultatem tollunt; *Art.* enim 15. Trassantem & Indossantem à fidejussione liberat, si Præsentans non adhibuerit diligentiam *Articulis* præcedentibus requisitam; *& Art. 16.* Trassanti & Indossanti onus probandi imponunt, quod Acceptans habeat provisionem unde soluionem præstet, vel in hujus probationis defectum gravant fidejussione pro litteris, qui omnes effectus sunt fidejussionis simplicis.

Hisce rationibus moti, censemus, actionem quæ Præsentanti contra Trassantem, Indossantem & Acceptantem ex litteris Cambialibus datur, non minus esse in solidum, quam si oriretur ex obligatione & stipulatione duorum conjunctim, cum clausulis unum pro omnibus in solidum obligatoriis, & cum beneficiorum divisionis & ordinis sive excussionis aliorumque de Jure competentium renuntiatoriis.

Sextò, attendendæ non sunt diversæ rationes antea propositæ, quibus Præsentans cogi putatur, actionem suam aliter instituere, & in locum agendi contra omnes debitores in solidum, unum solum, liberatis reliquis optare.

Nam, quod concernit bonum generale, dici nullo modo potest actionem in solidum, elevato ob defectum solutionis protestu, rite & ordinate per Præsentantem, contra omnes debitores Cambiales institutam, bono generali vel minimum adferre præjudicium, & posito non tamen concesso, publicum exinde quid præjudicii sentire, nihilominus tamen; cum Jura & actiones Præsentantis in pluribus legibus, & edicto fundentur, uti supra demonstratum fuit, hinc limitari aut abrogari non poterunt, nisi leges & Edictum unà limitentur aut abrogentur, quod absque authoritate Principis fieri haud potest, utcunque plausibile bonum istud publicum appareat: prout videmus in duobus exemplis; primum in Edicto Mensis Augusti 1606. quo fidejussio mulieris declaratur valida, licet SCto Vellejano, aliisq; legum beneficiis non renuntiaverit, ac proindeleges istas expresse abrogat, & secundum in Declaratione Mensis Aprilis 1664. quæ legem Juliam de fundo Dotali, in Provinciis Lugdunensi, Fortensi, Bellijoeensi & Maconnensi abrogavit; verum donec istiusmodi Edictum, prætensum bonum publicum approbans non habeamus, illud ipsum contra Jus commune præsumendum non est.

Nec Regula obstat, quod creditores Chirographarii omnes paris conditionis esse debeant, desumpta ex

ex *l. 7. C. de bon. auth. Jud.* partim quod non obtineat in Creditoribus majori securitate, sive per pignora, sive per fidejussores, sive aliter provisis; prout triviale est *l. pro debito C. de bonis auth. Jud. possid. l. 10. l. 11. ff. de pignor. & Hypothec. l. 7. ff. de distrah. pign. & l. 9. C. qui potior in pign.* Consuetudo Parisiens. *Art. 71. cum similibus*: sicut etiam non obtinet in creditoribus privilegiatis *l. 58. §. ff. mandati* & concordat *Art. 8. Tit. de faillites & banqueroutes Edict. de Commerc.* siquidem nunc Præsentans plus securitatis ex privilegii habeat in litteris Cambii, quam omnes alii cujuslibet debitoris Creditores, prætacta Regula ei obesse non potest, partim etiam, quia si eam applicare velimus, necesse est ut Præsentantem ad unamquamque distributionem admittamus, ob rationem, quod plura sint corpora creditorum separata & inter se distincta, quorum singulorum Præsentans, absque ulla contradictione est commembrum, ex quo debitorem, qui subjectum est, habeat obligatum in solidum: Porro prætacta Regula taliter practicatur, ut in distributione debitoris principalis, qualis est Trassans, aut Acceptans, Præsentans concurrat pro toto debito, & in distributionibus reliquorum concurrat pro residuo, deducto eo quod accepit, & in distributione Indossantis pro eo quod iterum deductis acceptis reliquum manet, sicque Regulâ bene intellectâ nulla exinde oritur difficultas.

Absurda in facto E. G. relato deprehensa, ad generalem consequentiam trahenda non sunt, nam imprimis committi non possunt, nisi in ipsa subscriptione pactorum, quod ad quæstionem præsentem non pertinet, deinde committuntur per merum accidens, & facto ipsarummet partium, quæ ea evitare & præcavere facile possunt, præterea absurda non sunt omni remedio destituta, nam si Indossans sustineat quod Præsentans per subscriptionem pactorum suorum fecerit cessionem litterarum Cambii; ad tollendum omne dubium, optima cautela est, ut faciat sibi illas extradi, & ordinem seu Indossamentum cancellet, quo casu Præsentans nullum amplius titulum habens, neque contra Acceptantem nec contra Trassantem agere posset; Sic pariter Præsentans si velit, quod subscriptio sua obstare non debeat, quo minis contra Trassantem & Aceeptantem agere valeat, id per expressam reservationem & protestationem, quod per subscriptionem Juri suo præjudicare nolit præcavere potest (quamvis fatear, quod tali casu, quo partes se tam clare explicant, subscriptionē pactorum forte majorem difficultatem passuram esse) similiter in reliquorum pactis, si communes istæ Cautelæ adhibeantur, absurda nulla timenda essent; & in exemplo proposito Præsentans pactis Indossantis purè & simpliciter sine ulla reservatione subscribens, plus exigere non posset, quam medietatem sibi in hujusmodi pactis promissam, & litteræ Cambiales, quæ sunt prima causa obligandi

Indoss-

Indossantem cessarent; ita enim nova constituitur, ut prior perimatur. *l.* 8. *ff. de novat.* ita ut Præsentans, qui vigore primævæ obligationis potuit solidum pure & absque dilatione exigere, & Indossantis bona arrestare; huic Juri per subscriptionem pactorum renuntiarit, & medietate conventâ statuto termino solutâ acquieverit, ex quo sequitur, quod tali casu non possit retinere litteras Cambij; nec se in iis fundare, quia non amplius pro titulo servire possunt; & licet eas tanquam pignus retinere vellet, nihilominus tamen illud per novationem ex subscriptione pactorum resultantem dissolutum esset; *L.* 11. §. 1. *de pign.* & *l.* 8. *ff. de novat.* adeo ut Indossans in casum denegatæ restitutionis eas actione pignoratitiâ condicere possit, *L.* 1. §. 6. *de oblig.* absq; quod Præsentans audiatur excipiendo se per subscriptionem pactorum in novationem non expresse consensisse, se in *L. ult. C. de novat.* fundando, tum quod lex ista in Regno abrogata sit, Charund *lib.* 7. *des Responses Chap.* 74. Bugnion *des Loix abrogées Lib.* 6. 62. tum etiam quod in locis, ubi dicta lex specialiter abrogata non est, novatio tamen ex præsumptionibus admittatur, Licet specialiter desuper conventum non sit: nam Doctores omnes fatentur hodie novationem, etiam induci ex vehementibus, seu perspicuis conjecturis; quod sine dubio locum habet, quando ultimus contractus cum primo non compatitur; tunc enim posteriora derogant prioribus, *l. pacta novissima. C. de pact.* Mantica *de tacit. & ambig. convent. lib.* 17. *cit.* 3. *num.* 12. & 13. Fab. *in Cod. lib.* 8. *tit.* 29. *defin.* 11.

Quod attinet ad Jus cedendarum actionum seu litterarum Cambii, quod habet Indossans à Præsentante conventus, id non inducit necessitatem optandi, sive Præsentans agere velit judicialiter, sive extrajudicialiter, subscribendo pactis, nec valet Dilemma, quo utuntur Contradictores, dicendo; Præsentans vel agit contra Indossantem, eique cedit litteras Cambii, & tunc non remanet ei actio quâ contra reliquos experiatur; vel agit contra authores Indossantis, & hoc casu non potest cedere litteras, & consequenter nec contra Indossantem agere, & idem est respectu aliorum, istud enim Dilemma vitiosum est, nam primo membro, si cum Indossante judicialiter agatur, is Jus cedendarum actionem non habet, nisi Præsentanti solidum solvat; Fidejussori enim solventi solidum cedenda est actio contra Fidejussorem Paul. *in summar. L.* 17. & Godefr. *in cit. l. ff. de Fidejuss.* Si vero non solverit solidum, Præsentans actionem retinet contra reliquos, ad plenariam usque satisfactionem; & secundo membro si Præsentans litem, quam contra reliquos instituit, Indossanti, cæterisque interessatis rite denuntiaverit cum protestatione, se periculo debitorum suorum litem prosequi, eosque interpellaverit, ut Jus suum omni meliori modo prosequantur, juxta formam *l.* 53. §. 1. *de Evict.* non tenetur rationem reddere, nisi

super

super eo, quod in solutum accepit, residuumq; adhuc exigere potest, non secus ac quilibet creditor qui debitorem principalem sciente & vidente fidejussore discussit, non tenetur liberare Fidejussorem, sed econtrario eum pro residuo convenire potest, & Fidejussor, si creditor initio agat contra ipsum, nisi solvat solidum, beneficium cedendarum actionum, etiam pro quantitate ea quam solvit non habet, quod tamen, si solidum solverit etiam habet pro illa parte debiti, quam solvit Principalis, verum si Præsentans pactis alicujus, contra quem Indossans regressum habet, pure subscripserit, absque quod cum ipso Indossante antea pactus fuerit, aut jus & actiones contra ipsum sibi competentes per expressum reservaverit, hoc casu, quia litteræ Cambii facto & negligentia sua non manserunt integræ, & propterea cessio sit imperfecta; dubitandum quidem non est, quin actio ejus contra Indossantem & reliquos propter impossibilitatem cedendi actionem elidi possit, verum hoc non ex optione; sed ex propria culpa provenit, quia authoritate propriâ & sine denuntiatione de Jure tertij illicite disposuit.

Quoad consuetudinem, ea non videtur legitime introducta, nec per circumstantias præcisas satis probata, ad hoc ut possit pro constanti haberi, & pro fundamento decisionis allegari, tanto minus, quod etiamsi consuetudo esset, ut Præsentans litterarum Cambii ob defectum solutionis protestatarum, omnibus debitoribus fallentibus, cogatur unum aliquem optare, & dimittere reliquos, quia tamen errore potius, quam ratione juxta *l. 39. ff. de legib.* introducta videtur, servanda non esset, tanta enim consuetudinis authoritas non est, ut rationem vincat, aut legem *l. 2. C. quæ sit longa Consuet.* Curia etiam non hæsitat, consuetudines non legitime introductas, licet in judicando, observatæ sint, errore detecto, corrigere, in in re mercantili istiusmodi correctionis duo habemus exempla super eo jure quo in partibus, ubi Jus commune observatur, uxoribus maritos super viventibus, præter dotem tribuitur ex bonis Mariti medietas Dotis loco doarii, consuetudine itaque observatum fuit, quod marito decocto uxori non tantùm redderetur Dos, sed etiam adjudicaretur Doarium istud ex bonis Mariti, erga cautionem de eo restituendo creditoribus Mariti, in casum quo is supervixerit, prout taliter pluribus arrestis judicatum fuit, usque ad Annum 1668. à quo tempore facta per Creditores remonstratione, quod nempe hujusmodi Doarium vivente Marito uxori non concedatur, sed in bonis Mariti maneat, donec moriatur; proindeque à creditoribus capi possit, contrariamque consuetudinem veluti contractui matrimoniali, legibus & rationi contrariam tanquam abusum abrogandum esse; Curia per arresta constanter iudicavit, creditores interim dum vivit Ma-

Maritus dicto Doario gaudere debere, erga cautionem de restituendo illud uxori in casum quo ea supervixerit, arrestum de 16. septemb. 1670. in causa Margarethæ Carcavi uxoris à Marito suo Claudio Bertier bonis separatæ, contra Antonium Guibert & alios creditores dicti Bertier, arrestum de 19. Julii 1672. In causa Antonettæ Metrare uxoris à Marito suo Francisco Badol repudiatæ sed judicialiter manutentæ, contra Ludovicum Raffelin & alios deputatos creditorum dicti Badoldi; Arrestum de 5. Septemb. 1672. In causa Patrum Societatis Jesu Novitiatus Avenionensis, & alios creditores Cæsaris de Terray, contra Franciscam Onset ejus uxorem.

Alterum Exemplum concernit Extensionem privilegii, quo uxores in locis ubi viget jus commune ratione dotis & Doarii præferuntur omnibus aliis creditoribus in mobilibus decoctorum Maritorum, hujusmodi enim privilegium extensum fuit consuetudine, ut præferrerentur etiam in bonis Societatis in qua Mariti cum aliis stabant pro parte scilicet ab ipsis in societatem illata, consuetudo ista hoc falso supposito innitebatur, quod nempe bona Societatis ad singulos sociorum pertineant pro rata partium ab ipsis illatarum, cum alias essent nullius, quod dici nequit; & ex hoc principio adjudicabantur uxoribus bona societatis pro quota suorum maritorum; quod duravit usque ad februarium Anni 1676. quando appellatione ad Curiam trium sententiarum conservationis Lugdunensis devolutâ, falsitas suppositi per creditores Societatis demonstrata & probatum fuit, res Societatis non esse singulorum de Societate, nisi pro indiviso, nec singulorũ fieri, nisi mediante divisione, dividi autem non posse, prius quam debita Societatis soluta sunt, *l. 27. & 28. ff. pro socio.* bona enim non dicuntur, nisi deducto ære alieno *l. subsignatum. 5. bona. & l. Princeps bona. ff. de verb. sign.* & per consequens sociorum uxores, ex persona Maritorum suorum venientes, plus juris non habere quam habent Mariti, ipsam rationem dictare res Societatis non pertinere ad singulos socios proportionaliter, cum pro mercicus & rebus in societatem, emptis omnes obligentur in solidum, unde sequitur proprietatem earum etiam spectare ad singulos in solidum, alias sequeretur injustum, quod nempe si quilibet suam proprietatem haberet separatam, is qui solvendo non est partèm suam alienare libere posset manentibus reliquis pro solutione obligatis in solidum, absque quod habeant proprietatem in solidum, quod rationi contrarium est; itaque curia de errore tactæ consuetudinis persuasa judicavit eam imposterum non esse sequendam, & per Arrestum de 25. Januarii 1677. pronuntiavit, creditores Societatis præferendos esse uxori Consocii, in rebus Societatis Domino Turey Præside & D. Portail referente.

 Nec

Nec in simplici correctione subsistit curia, sed plus ultra progreditur, quod si enim populus, edictis Correctoriis non attentis, consuetudines suas in uno alteriove puncto servare obstinate pergat, mandat Excutionem Edictorum suorum, eumque in finem ea in publica audientia legi & registrari jubet, promotoresque fisci, earum manutenentiam injungit, prout factum per arrestum de 7. septemb. 1688. publicatum in causa Joannis de la Fay & consort: contra Hilarium Carolum Piet. Dominum de Baurepaire, quo Articulus 486. consuetudinum Andegavensium abrogatus fuit.

Quoad sententias & arresta, quibus Præsentantem ad optionem unius ex suis Debitoribus astrictos fuisse ajunt, in hoc proposito casu attendendas, non esse censemus, quia de illorum genere non sunt, quæ ad relationem Consiliorum aulicorum feruntur & habent clausulam, lectionem publicationem & registrationem ad effectum habendi vim legis mandantem, sicut ea quæ recenset Dominus Bouguier. *Lit. D. n.14. Lit. E. n.1. Lit. S. n.16. Litt. T. n.5.* Robert. *Lib. 2. Cap.10.* Savary *dans ses advis & conseils au patere* 16. quod tanto magis in hoc casu attendendum est, quia arrestum de 21. Martii 1681. expresse super materia litterarū Cambii factū & pluribus aliis confirmatū est, arresta enim à judicibus ordinariis in causis partium data indifferenter pro præjudiciis habenda non sunt nisi facto probe inspecto manifeste appareat ea legibus & juri conformiter data, & inter utrumque casum ejusque circumstantias nullam differentiam esse: cum non exemplis sed legibus judicandum sit. *l. 13. C. de sentent. & inter loc. omnium jud.*

Resumendo itaque singula nempe, Thomam contra suos debitores habere actionem in solidum.

Non adesse hic bonum generale aut publicum neque casum, quo id præferri debeat.

In actione contra omnes debitores in solidum perfectam æqualitatem inter creditores falliti servari.

Allegata absurda provenire non vitio actionis sed dolo partium, & esse mere accidentalia & evitatu facilia.

Consuetudinem contrariam, tanquam juri & æquitati non conformem, non esse sequendam

Prætensa judicata & arresta in similibus casibus lata de quorum factis, actis & actitatis & consequenter paritate non constat, pro præjudiciis teneri non posse.

Firmiter tenemus dicti Thomæ intentionem optime fundatam esse, nilque obstare quo minus contra omnes debitores litterarum Cambii agat in solidum.

Secundo quoad ordinem & formam agendi, supponimus, I. quod Thomas protestum ob denegatam solutionem elevaverit 26. Aprilis 1688. & non serius, illo enim die effluxit decendium *Art. 4. Tit. 5. Edict. de Commerc.* præfixum, computando à postri-

postridie diei solutionis, juxta declarationem Regiam de 10. May 1686. hoc quippe negligi omnino non debuit, etiamsi Acceptans fefellisset ante diem solutionis, Protestum enim est requisitum quod neque per alium actum suppleri. *Art.* 10.*cit.tit.* neque ante diem præfixum fieri potest, sed in ipso puncto termini elevari debet *l.* 5. *C. de haret. act.* ratio posterioris est, quia protestum est species petitionis, præpostera autem petitio non admittitur Godofr. *in d. l.* 5.

II. Supponimus, quod regressum suum contra Indossantem sumere ultra 15. May non distulerit, eo enim die expiravit quindena, à die protestus, & reliqui dies, quorum unus quisque pro quinque milliaribus, quibus Indossans ultra 20 millia moram trahit computatur; porro, quod post lapsam duorum mensium & sic circa 26 Junii regressum sumpserit contra Trassantem juxta *Art.* 13.*ejusdem Tit.*

III. Supponimus, quod licet in Edict. de commerc. terminus ad persequendum Acceptantem præfixus non sit, nihilominus tamen id non solum neglectum non fuisse, sed etiam ab unoquoque petitam esse integram solutionem Litterarum cambii, damni, interesse & expensarum, idque cum expressa reservatione actionis & juris quæsiti contra reliquos obligatos

His ita bene observatis optimus ordo agendi talis est, ut inchoetur ab Acceptante, eum in loco destinatæ solutionis conveniendo, & petendo ipsum ad solutionem Litterarum Cambii, damni, interesse & expensarum executive, etiam per viam corporalis arresti constringi, idque jure & actione contra Trassantem & Indossantem salvis.

Deinde ut evitetur confusio in regressu contra Trassantem & Indossantem, consultum est, ut ij ambo coram eodem Judice conveniantur, coram quo conventus fuit Acceptans, petendo sententiam contra Acceptantem ferendam, ad eos extendi, omnesque ad solutionem summæ Cambialis damni, interesse & expensarum condemnari in solidum.

Tametsi enim Trassans & Indossans sub alia Jurisdictione domicilium habeant, nihilominus tamen in eodem judicio bene conveniuntur, juxta *Art.* 17. *Tit.* 12. *Edict. de Commerc.* Ubi creditoribus liberum est debitores convenire in loco distinatæ solutionis; quod & juri communi conforme est, quia contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo ut solveret se obligavit. *l.* 26. *ff. de oblig. & act. l.* 3. *ff. de reb. auth. jud. possid. l.* 61. *ff. de fidejuss.*

Et licet Acceptans sit verus debitor, Trassans & Indossans vero mandantes solutionem, & in diversis locis domiciliati, eidem tamen jurisdictioni subjecti sunt, ex persona enim rei mandator forum sortitur Godofr. *in d. l.* 61. *ff. de fidejuss.*

Præsentans quoque ne negligat arrestare bona Trassantis, Indossantis & Ac-

& Acceptantis; quod ei Judex legittime imploratus permittere & in hoc assistere debet juxta *Art. 12, Tit. 5. Edict. de Commerc.*

Non omittat quoque omnibus objectionibus, inventariis aliisque materiis que concursum & distributionem tangunt, relevanter contradicere, & ad singulos actus de omni præjudicio contra reliquos protestari.

Ulterius non omittat ea quæ ex parte Creditorum unius exhibita & declarata sunt, denuntiare creditoribus aliorum, ut sibi quovis meliori modo prævideri valeant, semper cum reservatione juris quæsiti.

Caveat insuper ne pactis unius vel alterius, quo aliis præjudicare possit consentiat eave ratificet, & si ad hoc citari eum contingat, id ex una parte denuntiet suis authoribus, qui in hisce pactis interesse habent eosque interpellet, ut causæ suæ advigilent, monendo eventum fore ipsorum periculo, & ex altera parte respondeat citantibus punctum subscriptionis pactorum concernere suos authores iisque esse notificandum.

Et generaliter observet omnia, quæ in casum fallissamenti plurium debitorum, eorumque authorum practicari solent, & pro qualitate causæ opportuna sunt.

Tertio generaliter censemus, Præsentantem litterarum Cambii protestatarum ob denegatam solutionem, actionem in solidum contra omnes debitores conservare non posse, si omnium, vel unius pactis & conditionibus inter reliquos creditores & dictos debitores conventis simpliciter & sine prævia discussione subscribat, idque per rationes supra deductas, & si Jura sua salva retinere velit, hæc tria stricte observare debete.

I. Ut ultimi sui Authoris contractui subscribat primo, & sic subscribendo reliquorum pactis ordine & gradatim procedat, alias actionem amittet, eo quod ultimi Authoris sui Jura distraxerit, sibique potestatem illa retrocedendi actionem ademerit.

II. Ut in subscriptione primi contractus expresse protestetur, quod per consensum in remissionem, aliasque conditiones cum creditoribus conventas præstitum, juri & actioni sibi contra reliquos authores & debitores litterarum cambii competentibus nullatenus renuntiare aut derogare, sed contra eos suo periculo agere velit, & quod per acceptationem summæ in pactis Indossantis sibi conventæ intendat tantum renuntiare actioni personali contra ipsum Indossantem & contra alios, quam eandem protestationem successive in pactis aliorum subscribendis observet.

III. Cum Præsentans ab Indossante fallito, & cum suis creditoribus paciscente plus exigere non possit, quam id, quod deducto eo, quod ab Indossantis authoribus accepturus est, de summâ Cambii, damni & interesse adhuc solvendum restat, evenire autem possit, quod dicti Authores in solvendo sint ultimi, hinc ad evitandum processum quem Indossans ad resti-

restitutionem ejus quod ultra suum debitum solvit instituere potest, utilis cautela est, ut Præsentans vel cum eo paciscatur de solvendâ certâ summâ, & de reliquo proprio periculo ab aliis exigendo, vel etiam paciscatur, quod non aliter quid à reliquis debitoribus in solutum acceptare velit, quam præsente, aut saltem legitime citato Indossante, in finem ut casu quo appereat, id quod in universum accepit, ascendere suam portionem respectu aliorum creditorum, Indossans illud quod excedit, in continenti ad se trahere valeat, quæ omnia in reliquorum pactis eodem modo observanda sunt.

Ita sentimus Parisiis 15. Aprilis 1689. Perrin & du Puiis de la serra.

Consultatio D. de Fourcroy super eodem memoriali.

Si contradictores creditorum Sebastiani solvissent Thomæ solidum, certum est eos recursum habere contra contradictores creditorum Jacobi, & hos, si reddissent contradictoribus Sebastiani, regressum habere adversus contradictores Bartholomæi.

Quod juris est in toto idem est in parte, igitur à toto ad partem argumentando, si contradictores Sebastiani ad proportionem suæ distributionis solvant Thomæ, de duodecim mille libris E. G ter mille libras, haberet recursum pro tribus istis mille libris, contra contradictores Jacobi, verum per hoc non impeditur Thomas quo minùs contra eosdem concurrentes regressum sumere possit. Pro reliquis novem mille libris.

Et id quod contradictores Sebastiani concurrenter cum Thoma recepturus est ex distributine Jacob, non oberit Thomæ, quo minus ratione residuis prosequatur contradictores Bartholomæi hac adhibitâ observantiâ. Quod nempe adversus contradictores Bartholomæi, agant 1 contradictores Jacobi ad consequendum id quod solverunt, 2. contradictores Sebastiani ad id quod solverunt deducto eo quod receperunt ex concursu Jacobi & 3. Thomas ad id quod sibi solvendum restat deducto eo, quod recepit ex concursibus Sebastiani & Jacobi.

De Fourcroy subscripsit.

Nota, quia Thomas acceptis ex concursu Sebastiani tantum ter mille libris de duodecim mille libris in litteris Cambii contentis, non impeditur pro residuis novem mille libris regressum concurrenter cũ contradictoribus dicti Sebastiani sumat contra contradictores Jacobi, & per hoc quod contradictores Sebastiani recipiunt concurrenter cum Thoma à contradictoribus Jacobi, non obstat quo minus Thomas de reliquo sibi prospiciat in concursu Bartholomæi, hinc consectaneum est, Thomam intrare in concursus omnium debitorum & per consequens juxta sentimentum D. de Fourcroy eum tanquam Præsentantem non teneri eligere concursum unius aut alterius debitoris, & alios dimittere

Unde ulterius consequitur dictum Thomam contra omnes agere in solidum

lidum; nam licet in concursu Sebastiani recipiat tantum tria millia librarum (supponit enim D. Fourcroy in hoc concursu solvi tantum unam quartam) quia tamen intrat in solidum pro toto debito duodeim millium librarum, hinc recipiendo istam quartam, non secus habetur ac omnes alii, quibus Sebastianus solidum debet; quod confirmatur ex eo, quod concurrenter intret in concursum Jacobi pro restantibus novem mille libris & pro ultimo reliquo in concursum Bartholomæi.

OBSERVATIO PRACTICA.

D. de Fourcroy ponit quidem casum, quo in concursu Indossantis primo, Acceptantis secundo & Trassantis tertio solvitur, interim tamen hoc non est perpetuum, sed quandoque accidit, quod in concursu Trassantis, quandoque etiam ut in concursu Acceptantis prima distributio fiat, & quia ex una parte juxta casuum istorum differentiam diversimode discurrendum est, & ob dispositiones inter se non satis concordes nihil certi statui potest, ex altera etiam parte, ad hoc ut Præsentans solutionem cum reliquis creditoribus consequatur probandum est, non tantum nullam adesse necessitatem, in concursu ad solvendum parato differendi solutionem donec ex parte Indossantis primo, & Acceptantis secundo loco solutio facta sit, sed etiam talem dilationem nō expedire aut periculosam esse, idcirco de medio cogitandum est, quo ex parte Indossantis aut Acceptantis non solvatur plus, sive primo, sive secundo loco solvatur.

Quod ut statuatur, ante omnia inspiciendum est, an fundus litterarum Cambii sit in manibus Acceptantis vel Trassantis; nam si sit in Acceptantis manibus, uti fit regulariter, is est Principalis debitor & Trassans contra contra eum habet regressum, si vero Trassans eas retinuerit, & Acceptans acceptaverit, spe accipiendi fundum seu provisionem, eo casu Trassans est debitor principalis, & Acceptans contra ipsum regressum habet, uti in facti specie posita à D. Fourcroy.

Jam supposito, ex parte Indossantis primo loco solvi, uti pariter à D. Fourcroy ponitur & solvi unam quartam duodecim millium, hoc est, tria millia librarum, supposito etiam ex parte Acceptantis, secundo loco solvi, & quidem tertiam partem de 12000 libris hoc est 4000 lib. ex quibus Præsentans, creditor residui accipiet 3000, & Indossans qua creditor ter mille librarum per se solutorum accipiet 1000 lib.

Supposito quoque ex parte Trassantis tertio loco solvi, & quidem medietatem de 12000 lib. hoc est 6000 lib. ex quibus Præsentans qua creditor residui de 6000. lib. accipiet 3000 lib. Indossans qua creditor residui de bis mille libris, accipiet 1000 lib. & Acceptans qua creditor 4000 lib. accipiet 2000 lib.

Qui-

Quibus ita positis apparet I. Præsentantem in universum accipere 9000 lib. loco 12000 & ita eum perdere unam quartam, h. e. 3000 lib. cum si teneretur optare, perderet vel 9000 lib. si Indossantem, vel 8000 lib. si Acceptantem & ad minimum 6000 lib. si Trassantem optavisset.

II. Ex parte Indossantis exponi 3000 lib. & recepi 1000 lib. ex concursu Acceptantis & 1000 ex concursu Trassantis ita ut hic concursus perdat tantum 1000. lib. quæ est pars duodecima.

III. Ex parte Acceptantis exponi 4000. lib. & recepi 2000. lib. ita ut ultra sextam partem non perdat; & Præsentans, quantumvis Indossantem & Acceptantem obligatos habeat, solus tamen tantum perdat quantum uterque simul.

Ut autem medium servandi æqualitem, sive ex parte Trassantis, sive ex parte Acceptantis prima solutio fiat inveniatur, ut nimirum Præsentans non accipiat, nec Indossans, Acceptans aut Trassans solvat plus uno casu, quam altero, adhuc ulterius duo casus notandi sunt.

Primus, si ex parte Trassantis fiat prima solutio medietatis, & ex parte Acceptantis secunda solutio unius tertiæ, hoc casu Præsentans de 12000. libris in prima solutione accipiet 6000. & in secunda ex restante medietate unam tertiam h. e. 2000. libras, Trassans vero contra Acceptantem regressum nullum haberet, juxta suppositum quod provisionem non miserit.

Et si ex parte Indossantis ultima solutio fiat conventæ quartæ, Præsentans de residuis 4000. libris accipiet 1000. libras.

Itaque tali casu Præsentans non recipiet ultra 9000. libras, sicut priori casu, nam Trassans solveret 6000. uti priori casu Acceptans 2000. quod incidit cum casu priori, ubi solvit 4000. & recipiet 2000 libras & Indossans solvit tantum 1000. lib. quod quoad omnia cum priori casu in unum recidit, nam licet ibidem videatur solvisse 3000. lib. recepit tamen ab Acceptante 1000. & à Trassante 1000. lib.

Secundus, Si ex parte Acceptantis fiat prima solutio tertiæ, & ex parte Trassantis secunda solutio medietatis, hoc casu Præsentans ex prima solutione recipiet 4000. & ex secunda de restantibus 8000. libris medietatem h. e. 4000. lib. & Acceptanti debetur medietas ejus quod solvit h. e. 2000. lib.

Et denique ex parte Indossantis fiat ultima solutio quartæ de 4000. lib. residuis, h. e. 1000. lib. ita hoc ultimo casu Præsentans nihil quidquam acccipiet plus quã binis præcedentibus casibus, supposito nempe quod non subscripserit alicujus pactis, aut quidquam egerit, quod regulis in prima consultatione explicatis; & per D. Fourcroy non impugnatis contrarietur.

Responsum Chuppé super eodem memoriali.

Visis litteris Cambii ex memorali ego infra scriptus ad primam Quæstionem, an nimirum in casum quo Bartholomæus, Trassans, Jacobus Acceptans, & Se-

& Sebastianus Indossans per decoctiones in solvendo facti sunt: Thomas Præsentans teneatur optare ex illorum concursibus unum cujus pactis subscribat censeo, nihil esse, quod Thomam Præsentantem & sic creditorem duodecim mille librarũ, ad optandum unum ex concursibus, Bartholomæi Trassantis, Jacobi Acceptantis & Sebastiani Indossantis, quibus subscribat, necessitari valeat.

Ratio, Quia enim isti tres eandem summam duodecim mille librarum debent, hinc conveniri possunt, vel omnes in solidum, vel quilibet pro rata suæ partis, & actio Præsentanti taliter competens non alteratur per cessionem à Sebastiano Indossante factam Thomæ, nec etiam per hoc, quod debitores post Acceptationem facti sint non solvendo: imprimis dubium non est, quin Jacobus Acceptans conveniri valet in solidum, cum vere sit debitor Principalis; deinde in ejus defectum, quia factus est non solvendo, duo reliqui pariter conveniri possunt in solidum, & quidem Bartholomæus Trassans *actione mandati*; mandat enim Jacobo in quem traxit litteras Cambii, ut solvat Sebastiano: & per consequens Sebastianus contra eum recte agit, ut faciat exequi mandatum qui tamen actionem cessit Thomæ, Sebastianus Indossans vero conveniri potest propter cessionẽ, qua tenetur præstare nomen verum & bonum, & licet hoc expresse non stipuletur in litteris tamen Cambialibus ob favorem Cõmerciorum subintelligitur; ut possit dici, *Plus actum quam scriptum.* Supposito Igitur quod Jacobus Acceptans foro cesserit, Thomas Præsentans aget in solidum contra Trassantem & Indossantem in solvendo pariter existentes, licet enim eventus quo debitores non solvendo fiunt minuat solutionem summæ 12000. librarum, actionem tamen ab initio in solidum competentem mutare aut perimere non potest.

Necessitas optandi unum ex debitoribus quæ dicitur consuetudine esse introducta, contrariatur juri civili & specialiter novell. 99; qua facultas optandi unum ex Debitoribus creditori ante novellam istam concessa tollitur; *In novella tollitur electio, qua datur creditori, ut conveniat in solidum quem volet ex reis debendi, si videlicet duo rei promittendi se nominatim in solidum non obligaverint, vel si se nominatim obligaverint, & omnes solvendo sint & præsentes, quia his casibus creditor cogitur inter eos dividere actionem suam, ita ut singulos conveniat in partes tantum viriles, & ita plures rei promittendi, his casibus hodie habent beneficium divisionis. Cujac. ad* Cit. Novel. & sicuti per constitutionem D. Adriani pluribus Fidejussoribus datur beneficium divisionis, ita quoque idem beneficium datur correis debendi, & creditori competit actio contra singulos in partes viriles, *creditori adempta est electio generali constitutione.* Nov. 99. & novella hæc in regno nostro usu recepta est.

Porro

Porro, debitores, vel obligantur in solidum, vel non; *hoc casu* creditor aget contra singulos ad idem debitum pro parte virili, *isto casu* subdistingue, vel enim omnes sunt solvendo & creditor iterum renetur actionem suam dividere, eamque contra singulos instituere, vel non sunt solvendo, & tunc agit contra ipsos, & contra fidejussores in solidum, nam actio in solidum sive contra correos, sive eorum fidejussores principaliter datur in casum, quo debitores non existunt solvendo, & ita necessitas optandi Juri communi directe contraria est.

Similiter contraria est rationi & contractui Societatis tacite inito, ad hoc ut in casu, quo debitor principalis non sit solvendo, creditor indemnitatem quærat contra correos, vel contra fidejussores: Si debitor, vel correi solvendo sint, creditor actiones suas contra illos instituere tenetur, & contra fidejussores nullam habet, verum uno vel altero ex debitoribus in solvendo existente actio in solidum locum habet, vel contra correos vel contra fidejussores.

Edictum de Commerciis de necessitate optandi unum ex correis debendi, vel unum ex fidejussoribus ne verbo quidem meminit.

Similiter non constat de Arrestis eam authorisantibus.

Et si forte inter mercatores esset introducta consuetudine, nihilominus tamen quia Juri & naturæ actionis in solidum creditoribus competenti repugnat, nec præjudicio aliquo confirmata est, reducenda esset ad Jus commune.

His præmissis & supposito, quod actiones creditoris, contra debitores principales, & fidejussores pro summa 12000. lib. in litteris Cambii contenta per hoc non pereant, quod debitores in solvendo facti sint; porro discutienda sunt media quibus Thomas Præsentans ad hujusmodi debitum pervenire possit, & qualitates singulorum debitorum.

Primo, certum est Jacobum ob acceptationem litterarum Cambii considerari debere tanquam debitor principalis.

Secundo quod Sebastianus, qui eas indossavit in favorem Thomæ, sit mandator seu cedens sui juris & teneatur ad evictionem; ita ut idem Thomas habeat contra Sebastianum actionem mandati directam, vel utilem ex persona Bartholomæi Trassantis; & per consequens quod Sebastianus considerari debeat, tanquam Fidejussor, cum mandatum sit species Fidejussionis

Tertio Bartholomæus, Trassans obligatur Thomæ, quia enim mandavit Jacobo Acceptanti ut solvat Sebastiano, & Thomas successit in Sebastiani locum & jus, sic qua cessionarius poterit eandem actionem intentare contra Bartholomæum quam poterat cedens Sebastianus, & sic Bartholomæus pariter consideratur ut Fidejussor.

Verum quemadmodum omnes istæ actio-

actiones quas Thomas habet adversus suos debitores sibi invicem subordinatæ sunt, & regulariter debitores principales ante conveniendi sunt quam progrediatur ad Fidejussores; ita quoque dicendum est, quod Thomas debeat discutere Jacobum qui est principalis debitor; priusquam à Bartholomæo & Sebastiano, qui considerantur qua Fidejussores, aliquid de duodecim mille libris exigere valeat;

Quod si supponamus quod Indossamentum, seu cessio quam Sebastianus fecit in Thomam, importet tacitam stipulationem præstandi omnimodam evictionem uti mercatores volunt; semper verum est debitorem principalem prius discutiendum esse, quia promissio evectionis non tollit beneficium excussionis.

Igitur necesse est; ut Thomas agat primo contra Jacobum, vel ejus concursus contradictores; & intrando in ejus pacta & remissionem medietatis, inde capiet summam sex mille librarum; hac prima discussione facta, manet creditor pro aliis sex mille libris restantibus, pro quibus actionem habet contra suum cedentem Sebastianum; & Bartholomæum Trassantem vel cedentem Sebastiani.

Quandoquidem autem hi duo considerantur tanquam Fidejussores, hinc quærendum quid juris si contradictores utriusque concursus opponant beneficium divisionis? sed similiter affirmo creditori dandam esse actionem in solidum contra Fidejussores; licet contra confidejussores habeant exceptionem divisionis, qua unusquisque eorum tantum tenetur pro medietate, adeo ut Thomas intrando in utriusque pacta juxta remissionem eis factam, quæ supponitur esse medietatis, accipiat à Bartholomæo tantum mille quingentas libras & à Sebastiano totidem; Damnum autem ex fallissamentis; tam Jacobi debitoris principalis; quam Fidejussorum emanans omnibus commune est; juxta *Authent. Hoc ita C. de duob. reis* quæ sumpta est ex supra cit. *Novell. 99. ibi ejusmodi est natura obligatonis plurium reorum debendi, ut inter eos sit mutuum periculum*: Sicque conservabitur bonum publicum, quod privato præferendum esse contrariæ sententiæ assessores supra asseruerunt.

Nunc restat ut videamus quomodo ii qui solverunt, recursum contra alios sumere debeant.

Certum est Jacobum Acceptantem, vel contradictorem ejusdem concursus, qui ejus Jura defendit, pro sex mille libris à se solutis, nullum regressum habere, neque contra Thomam, neque contra Sebastianum Indossantem, neque etiam contra Bartholomæum Trassantem: Ratio est, quia est debitor principalis; qui contra suos fidejussores recurrere non potest, uti *L. si plures 27. §. si fidejussor dig. ff. de fidejuss.* expresse deciditur in verbis *qui rei loco principalis est non potest desiderare, ut inter se & fidejussorem dividatur obligatio.*

Quoad Sebastianum major difficul-

tas est, is enim regressum tantum habet pro mille quengentis libris, quas solvit, istum autem habere non potest adversus Jacobum, cum is per solutionē unius medietatis, & remissionem alterius medietatis à debito liberatus sit, & quia Sebastianus in locum & jura Thomæ successit, plus juris habere nequit, quam ipse Thomas suus Author, cujus obligatio adversus Jacobum sublata est.

Quod si recursum aliquem habere posset, id esset adversus Bartholomæum Trassantem; sed obstabit quod ambo sint mandatores seu Fidejussores, qui cum adversus se invicem actionem non habeant, dicit enim Cujac. *Si Fidejussor creditori solverit nullam habet actionem adversus confidejussores; tenet propria obligatio* consequens est, quod iste recursus non obtineat, quod si vero ex persona Thomæ creditoris, in cujus locum pro 1500 lib. quas solvit, surrogatus est, agere velit ex parte Bartholomæi obmovebitur, omnes obligatos pro litteris Cambii esse non solvendo & damnum ex hoc casu promanans omnes æqualiter gravere debere: juxta regulam, inter reos debendi, seu confidejussores mutuum est periculum, & taliter consuetudine nostrate observatur quæ per arresta confirmata est; quorum unum relatum est à Baquet.

Sig. Parisijs 22. Augusti 1689.
Chuppé

Dominus Chuppeus evidenter probat Thomam Præsentantem ad optandum unum ex tribus debitoribus litterarum Cambii, videlicet acceptantem, Indossantem & Trassantem & unius solius pactis subscribendum compelli non posse; sed quod omnes tres in solidum obligatos habeat & adversus eos agere valeat

AXIOMATA.

1. Præsentans solutionem litterarum Cambii acceptatarum, & ob denegatam solutionem protestatarum, ab Acceptante, Indossante & Trassante, etiam ab eo qui tractam mandavit, si id probari possit, exigere potest, & quidem ab omnibus in solidum.

2. Acceptans, Trassans, & Indossans litterarum Cambii non liberantur ab obligatione, licet id fecerint ex mero mandato alterius.

3. Sicuti Præsentans contra omnes obligatos pro litteris Cambii acceptatis & ob denegatam solutionem protestatis habet actionem in solidum: ita quoque intrare potest in omnium concursus, absque quod teneatur optare unum & liberare reliquos.

4. Si Præsentans litterarum Cambii acceptatarum & ob denegatam solutionem protestatarum pactis alicujus ex obligatis subscribat absque reservatione, perdit actionem contra reliquos.

5. Si Præsentans litterarum Cambii acceptatarum & ob denegatam solutionem protestatarum pactis unius & prioribus obligatis subscribat sine consensu posteriorum obligatorum, aut pro-

protestatione de se non præjudicando, perdit actionem contra reliquos, ob defectum facultatis cedendi actiones integras.

6. Si Præsentans litterarum Cambii acceptatarum & ob denegatam solutionem protestatarum se in concursu alicujus ex debitoribus intromiserit, non potest se in sequentium concursus intromittere, nisi pro eo quod successive ex debito restat.

CAPVT XVII.

De modo procedendi contra eos, qui Præsentanti pro solutione litterarum Cambii, ob denegatam solutionem denegatarum, obligati sunt.

SUMMARIA.

1. *Litteræ Cambii habent paratam executionem, idque ubique observatur.*
2. *Debitores litterarum Cambii ad solutionem per corporale Arrestum compelli possunt.*
3. *An litteræ Cambii producant actionem hypothecariam? negative.*
4. *In Gallia litteræ Cambii sicut omnis alia privata scriptura tribuit hypothecam à die recognitionis.*
5. *Hypotheca ista contra unumquemque datur, à die quo ipse recognovit.*

1 Quamvis litteræ Cambii in privata tantum scriptura consistant, nihilominus tamen earum favor tantus est, ut paratam executionem habeant; quamprimum enim super illis protestum ob denegatam solutionem elevatum est, Præsentans super bonis (a) eorum qui pro solutione obligati sunt, quales sunt ii de quibus præcedenti titulo fusius actum est, arrestum obtinere potest, uti *Art. 12. Tit. 5. Edict. de Commerc.* præcise disponitur.

Hocque non solum in Gallia per Edictum de commerciis, nec non Genuæ & Bononiæ per statuta obtinet (b) sed etiam in omnibus plateis, veluti in utilitate publica fundatum, generali consuetudine receptum est.

(a) *Les Porteur pourront aussi par la permission de Juge saisir les effets de ceux qui auront tiré ou endossé les lettres, encore qu' elles ayent été acceptée, même les effets de ceux sur lesquels elles auront été tirée, en cas qu' ils les ayent acceptée.* Edict. de Commerc. Tit. 5. Art. 12.

(b) Loquendo de Jure municipali locorum concludo quod instrumenta, apodissæ, & litteræ Cambii habent expressa dispositione executionem paratam, ut ex statutis Genuæ & Capitalis Bononiæ & quodquot extant statuta de Cambiis, tribuunt executionem paratam, loquendo de consuetudine etiam generali concludo idem, quod habent executionem paratam, Scacc. *§. 7. gloss. 5. n. 3. & 4.*

2 Ij qui ad solutionem vel ad fidejussionem litterarum Cambij ob denegatam solutionem protestatarum obligantur, ad solvendum (c) per arrestum corporale constringi possunt uti *Art. 4. tit. 34. ordinat. de mense April. 1667. & Art. 1. Tit. 7. Edict. de Commerciis* disponitur.

Quod ipsum quoque universaliter, & ubique practicatur, ita ut pro re triviali, & vulgariter nota habeatur, quam proinde Authores argumentis probare propter notorietatem superfluum censent.

3 Sed quæstio est an litteræ Cambiales producant etiam actionem hypothecariam? & licet Stephanus Clerac Advocatus Parlamenti Guyennensis tractatu suo *de l'usage du negoce ou commerce de la banque des lettres de change* Chapit. 6. n. 8. censeat protesta in aliis Regnis elevata dare hypothecam & obligare ad interesse à die protestus, taliterque judicatum esse per arrestum Cameræ Guyennensis de 26. Martij 1646. in causa quærelæ & executionis arresti Bernardi Sichigarai & Joannis Barriere civium Burdigalensium actorum contra Isaacum Bardau pariter civem & mercatorem Burdigalensem D. Mousnier referente & D. Gourges Præside: veruntamen quia factum per hujusmodi arrestum decisum cum suis circumstantiis non enarrat, & ego similia arresta hucusque non inveni, non ausim ex hoc unico exemplo regulam generalem & Juri communi, quo pro litteris Cambii tacita hypotheca non constituitur, (d) asserere.

Nicolaus à Genua quidem vult, 4 quorundam locorum statutis pro litteris Cambii hypothecam tribui (e) veluti Mediolani; sed inspicienda forent talia statuta, an nimirum hypotheca detur à die datarum litterarum, vel à die elevati protestus, vel etiam à die recognitionis; in Gallia enim litteræ Cambii se eodem modo habent quo alia quævis privata scriptura, quæ non tribuit hypothecam nisi à die recognitionis in judicio factæ juxta *Artic. 92. & 93. ordinationis de Anno 1539.*

Et quia Trassantis & Acceptantis 5 scripturæ & signaturæ diversæ sunt prout etiam Indossantis, sic hypotheca non potest locum obtinere contra Acceptantem & Indossantem, à die recognitionis à Trassante factâ, sed tan-

P 3

(c) *Ceux qui auront signé des lettres ou Billets de Change pourront être contraints par corps ensemble ceux qui y auront mis leur aval.* Edict. de Commer. Tit. 7. Art. 1.

(d) Altera succedit hic dubitatio, an pro litteris ipsius Cambii competat regulariter privilegium hypothecæ, cui quidem difficultati satisfaciendo rem de jure communi pro negativa esse definitam aperte concludo. Sic in terminis docet Pet. Surdus *Consil. suo 499. n. 2. & 4. &c.* Nicol. à Genua *de scriptur. privat. de litter. Cambii quæst. 2. n. 1.*

(e) Dixi autem (rem pro negativa definitam jure communi inspecto) quod ex consuetudinibus & sanctionibus peculiarium locorum secus definitum est, ex novis constitutionibus Mediolani (ut ab his exordiar) de quibus sub *Tit. off. Abb. §. eo amplius lib. 5.* concessa est procul dubio hypotheca pro litteris ipsius Cambii veri & realis Nicol. à Genua *de script. privat. de litter. Camb. quæst. 2. n. 6. & 7.*

tantum contra unumquemque à die quo ipse recognovit.

AXIOMATA.

1. Præsentans litterarum Cambii protestatarum potest obtinere arrestum super bonis obligatorum.

2. Omnes qui vel ad solutionem vel fidejussionem pro litterarum Cambii ob denegatam solutionem protestatarum obligantur ad hoc per corporale arrestum constringi possunt.

3. Litteræ Cambii ob defectum solutionis protestatæ non tribuunt hypothecam contra unumquemque obligatum nisi respective à die quo quisque manum suam recognovit.

CAPUT XVIII.

De Reversalibus Cambii.

SUMMARIA.

1. *Usus reversalium Cambii extra Galliam non practicatur, Parisiis vero frequentissimus est.*
2. *In reversalibus Cambii requiritur ut sint de litteris Cambii datis vel dandis.*
3. *In reversalibus de litteris Cambii debet exprimi in quem littera Cambii sint tracta, cui, quo tempore & à quo sint solvenda & quomodo valuta declaretur.*
4. *Exemplum reversalis de litteris Cambii datis.*
5. *Reversalia de litteris Cambii dandis debent exprimere locum in quem trassari, tempus quo solvi debeant & an valuta sit accepta.*
6. *Exemplum reversalis de litteris Cambii dandis.*
7. *Ut reversalia Cambii paratam habeant Executionem necesse est ut omnis simulatio absit.*
8. *Non tantum mercatores sed etiam alii possunt celebrare contractum litterarum Cambii & per consequens pro earum executione arrestari, soli autem mercatores ob reversalia de valuta in paratis vel mercibus accepta.*
9. *Parata executio non datur pro mutuo.*

Usus reversalium Cambii in locis extraneis rarus, sed Parisiis frequentissimus est, cum sit promptissimum remedium inveniendi pecuniam in necessitate; habent enim hæcce reversalia idem privilegium paratæ executionis quod habent litteræ Cambii, verum multi falluntur qui credunt omnia reversalia Præsentanti aut de ejus ordine solvenda pro valuta accepta, indistincte esse reversalia Cambii, in hoc enim qualitas horum reversalium non consistit. 1

Art.

2 *Art. 27. Tit. 5. Edict. de Commerc.* ad hoc ut reversalia habeantur pro reversalibus Cambii, præcise requiritur, ut fiant de litteris cambii datis aut dandis (f) ita ut ex causa propter quam fiunt suam habeant denominationem.

3 Porro non sufficit eas indistinctè dicere quod sint de litteris cambii datis, (g) sed præcise requiritur ut exprimatur in quem litteræ cambii sint tractæ, cui, quo tempore & à quo sint solvendæ, & quomodo valuta declaretur juxta *Art. 28. eod. Tit.* fateor quidem hunc articulum hæc omnia tam clare non explicare, sed taliter intelligendus est; nam si valuta esset realiter soluta, reversali cambii locus non esset utpote quod de litteris cambii datis tunc solum fit, quando valuta adhuc debetur. Pro meliori intellectu habeas Exemplum reversalis de litteris cambii datis.

EXEMPLUM.

4 Pro summa 3000. librarum quas promitto solvere intra mensis spatium Titio, vel de ejus ordine pro litteris cambii quas mihi dedit solvendas per Cornelium Amsterdamum, ad duos usus, valuta in paratis declarata Parisiis 14. Martii 1687.

Aurelius

Pour la somme de 3000. Livres que Je promets payer dans un mois à Monsieur - - - - ou à son ordre, pour Lettre de Change qu' il m' à fournie payable par - - - d' Amsterdam à deux usances, la valeur declaré comptant à Paris le - - - de 1687.

Signe N.

Reversalia de litteris cambii dan- 5
dis (h) debent exprimere locum in quem trassari & tempus quando solvi debeant, & an valuta sit accepta juxta *Art. 29. Tit. 5. Edict. de Commerciis.*

EXEMPLUM. 6

Pro summa 3000. lib. de qua promitto dare litteras cambii Lugdunum, solvendas pagamento proximo Paschali à Samuele. De ordine Stephani, valutâ in paratis acceptâ ab ipso. Parisijs 14. Martij 1687.

Cornelius.

Pour la somme de 3000. Livres dont Je promets fournir Lettre de Change pour Lion, payable au prochain payement de - - - à l' ordre de Monsieur - - - pour valeur recuë comptant de lui même à Paris ce - - - de - - - 1687.

Signe N.

Ut quis habeat privilegium rever- 7
salis Cambii non sufficit sumere reversale aliquod unius vel alterius formæ; sed requiritur ejus veritas & ut omnis simulatio absit, hoc est ut litteræ Cambii sint realiter datæ, vel si qui illas dare promisit, talis sit qui lit-

(f) *Aucun Billet ne sera reputé Billet de Change, si ce n' est pour Lettres de Change qui auront été fournies ou qui le devont étre* Edit. de Commerce. Tit. 5. Art. 27.

(g) *Les Billets pour Lettres de Change, fournies, feront mention de celuy sur qui elles auront été tirées, qui en aura donne la valeur, & si le payement à été fait en derniers, marchandises ou autres e effect à peine de nullité.* Tit. 5. Art. 8.

litteras Cambii in reverſali expreſſas dare poſſit, nam ſi unum aut alterum aliter ſe habeat reverſale privilegium paratæ executionis & corporalis arreſti non habebit; ex quo conſtat illud ipſum ex mera ſimulatione (*i*) factum eſſe ad dandum creditori privilegium paratæ executionis quod ratione crediti ſui habere non poteſt.

Ne quis ſibi imaginetur, ſolos mercatores poſſe dare & ſumere litteras Cambii, & per conſequens eos tantum eſſe ſubjectos corporali arreſto, quotidie enim ab omnis generis hominibus juxta rerum ſuarum exigentiam id fieri videmus, hic in receptores & debitores ſuos traſſat, alius vero ſumit litteras Cambii ad ſolvendum id quod aliis locis debet, vel ad uſum emptionis aliorumque contractuum quos celebrare intendit, hinc eſt quod in Art. 1. Tit. 7. Edict. de commerc. [k] corporale arreſtum ſtatuat indifferenter contra omnes, qui litteras & reverſalia Cambii ſubſignarunt, illud autem reſtringat inter mercatores propter reverſalia de valutâ in paratis vel mercibus acceptâ; hoc eſt quod debitor & creditor ambo mercatores eſſe debeant.

Ratio hujus diſtinctionis eſt, quia jura paratam Executionem & corporale arreſtum non tribuunt propter ſimplex mutuum ſicut ſtatutum eſt per ordinationem menſis Aprilis 1667. nam dici poteſt omnia reverſalia de valuta accepta in iis caſibus ubi debitor & creditor mercatores non ſunt in effectu dari ob cauſam mutui, ubi tamen ea quæ datur inter mercatores fiant vel pro ſolutione computus vel pro alio quovis negotio quod paratam executionem & corporale arreſtum producit.

AXIOMATA.

1. Reverſalia Cambii non dicuntur niſi ſint de litteris Cambii datis aut dandis.

2. Reverſalia Cambii pro litteris datis valida ſunt niſi exprimant, in quem ſunt tractæ, à quo debeant ſolvi & quo modo valuta in iis declaretur.

3. Reverſalia pro litteris dandis valida non ſunt, niſi exprimatur locus in quem trahi & quando ſolvi debeant, & quomodo valuta ſit accepta.

4. Reverſalia Cambii valida non ſunt ſi debitores non ſunt tales qui negotium inibi expreſſum exercere non poſſunt & ſi non ſint vera.

(i) In contractibus rei veritas potius quam ſcriptura perſpici debet, *L. 1. C. plus valere quod agitur, quam quod ſimulate concipitur,* non quod ſcriptum ſed quod geſtum eſt inſpicitur. *L. 9. C. eod.*

(k) *Ceux qui auront ſignè des Lettres ou Billets de Change pourront être contraints par corps, enſemble ceux qui y auront mis leur aval, qui auront promis d' en fournir, avec remiſe de place en place, qui auront fait des promeſſes pour Lettres de Change à eux fournies, ou qui le devront, être, entre tous negotians ou Marchans qui auront ſigné de Billets pour valeur recuë comptant ou en Marchaudiſes, ſoit qu ils doivont être aquittez à un particulier y nommé, ou à ſon ordre, ou au Porteur* Edit. de Commerce. Tit. 7. Art. 1.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Prior Numerus Caput alter Numerum marginalem denotat.

Q *Actio*

Pri-

Li-

P.

Ca-

In

FINIS INDICIS.







